



BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
NAPOLI

DE TRIBUS

IN LUSITANOS JESU SOCIOS

PUBLICIS JUDICIIS

DISSERTATIO

Domine Deus Deorum, & universæ potestatis tribue Sermonem compositum . . . .

Exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera eos :

Esth. cap. 14. v. 13., & v. 19.

Ex libris Joan. Francisci de Ocampo ann. 1862.



ex dono J. Ok.





NORIMBERGÆ

1792.



Narratur Mendacium intrepide, Veritas opprimitur: qui in crimen vocantur, sine judicio condemnantur: qui vero vocant, eis fides habetur sine ulla examinatione.

S. Basil. Orat. 16. de Invid.



EDITOR

LECTORIBUS SUIS

S. P. D.

JAm pridem ad aures meas ille constans, ac certus rumor pervenerat, apud virum quemdam, qui longo ætatis curriculo maximam historiæ parandæ curam habuisset, complura extare monumenta, undecumque conquisita, quibus tota & ratio earum calumniarum, & ipsarum refutatio simul contineretur; quæ nobilissimam illam Jesu Societatem, cum alibi, tum in Lusitania potissimum, & per invidorum plurimorum injuriam, & per impudentissimam unius *Purpurati Regii* malitiam perdidissent.

Ego vero, qui & oppressæ palam innocentiæ patrocinium ab omnibus pro virili parte deberi intelligerem, & communia bonorum omnium vota, atque incensa studia pro vindicanda Jesu Societate, his miserrimis Europæ temporibus assiduò audirem; mearum esse partium existimavi,

ab illo clarissimo Sene, rerum publicarum peritissimo, per litteras petere audere, ut mihi omnium suorum scriptorum, omnium monumentorum ab ipso comparatorum, quæ ad infamiam Jesu Societatis non modo levandam, sed penitus delendam pertinerent, mittere exemplum ne gravaretur, quod typis ipse meis bona hominis venia, in vulgus ederem; maxime cum apud omnes constare, ille unus omnium maxime testis esse posset, in defendenda Jesu Societate nihil Majestati Principum offici, qui bona quidem ipsi fide ducti, ut ego arbitror, dolis autem, malisque multorum fraudibus delusi, illius innocentiam authoritate sua oppugnarint.

Quid porro ille mihi bonus Senior, jam se propius a morte abesse sua testatus, rescripserit, ex ejus subscripta epistola, si omnibus pateret, majorem me gratiam a Lectoribus initurum meis arbitrabar: sic enim rescribebat.

„ Quas a te litteras, Vir optime, paucis ante diebus ab Amico communi Lucio Vero accipiebam, eas mihi in hac ætate mea, prope jam tota decursa, adeo jucundas accidisse, tibi confirmo, ut vehementer mecum miratus in te studium tantum erga illam Jesu Societatem (mihi vita cariorem, dum salva, & incolumis manebat; nunc vero assiduam & mæroris, & desiderii materiam, dum a bonis omnibus in his rei catholicæ gra-

vissimis

vissimis temporibus ad communem salutem frustra desideratur,) illud Demeæ Terentiani Senis Senex ego repeterem: "

„ Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reli-
„ quias restare video! Vah! vivere etiam nunc
„ libet. "

„ Ita enim habeto; me, cum viderem, nullum Jesu Societati, indicta causa vel oppressæ, vel ecclesiastico quodam Ostracismo è medio sublatæ, locum relinqui, ut pro se loqui palam ex scripto posset, (quippe cui typographias omnes Adversariorum vel potentia, vel gratia, vel pecunia clausisset) eo jam desperationis venisse, ut Minervæ, Themidique iratus, Vulcano omnia ea scripta voverem, quæ diuturno multorum annorum labore pro vindicanda Jesu Societate mihi comparassem. "

„ Nunc Divi, Divæque omnes, quantum in beatis Sedibus etiam nunc res humanas curant, Tibi, non hujus ætatis, sed melioris sæculi Typographo, optata omnia ferant, qui innocentiæ oppressæ auxilium, qui grassanti injuriæ vindictam, qui Jesu Societati vel extinctæ, vel animam agenti, non dicam novum solatium, sed prope spiritum, vitamque ex ista typographia afferre conaris. "

„ Itaque tu nunc quidem a me ejusmodi commentaria manu scripta habeto, quæ Lusitanos Jesu Socios omni non modo crimine, sed levis-

sima etiam illius Regicidii fabulosi suspicione, meo quidem judicio, tuo etiam, tuorumque, opinor, similium, idest bonorum omnium, si semel sine metu lucem videant, plenissime absolvant. "

„ Paulo vero post, si ista humanitate tua mihi recreato longior vita suppetat, alia a me non pauca monumenta tibi promitto, quibus e medio per summum nefas fuisse sublatum Jesu Societatis Corpus ostendere omnibus queas. "

„ Sed, amabo te, vide perfortunas tuas, ne, dum extinctum jam Corpus ab injuria posthuma protegis, latus tu quidem tuum vivus, vidensque hostibus Jesu Societatis tuis utique inimicis, apertum offeras: frustra enim aliis, maxime verò jam perditis, sapies, si tibi parum sapies; idest si te, si formas tuas, si fortunas omnes potentissimæ vel ostensioni, vel vindictæ objicias. Tibi bonam a Divis mentem, tuis typis ab hominibus majorem gratiam, quam quantam Jesu Societati iidem retulerint, opto: Vale. "

Itaque dum ego, tam diserta, tamque festiva Senioris mei Scriptoris epistola delectatus avidius, mihi transmissa ab eo scripta evolverem, latinam in iis orationem, nescio quo urbanitatis pristinæ lepore aspersam, tum verò simplicem, nudamque veritatem, in qua nihil perplexi, nihil dubii, nihil ambigui, nihil fucati inesset, summopere mi-

miratus; omnino apud me constitui, ejusmodi esse illius Commentaria, quæ diutius deberi non possent iis hominum ingeniis, quos publica invidia, quos nonnullorum potentia, quos æmulorum obtrectatio, quos nigerrimus Jansenianæ loliginis succus, quos pestilentissimæ istius Philosophiæ impius, atque impurus Spiritus a patrocinio innocentiæ deducere nondum potuisset. Qui enim vel unus, vel certè acerrimus, me deterrere poset metus, ne quod ab Aula Lusitanorum Regia frigus me male feriret, dum Carvalhii, in ea olim tyranni, Phalarismum totum omnibus e typographia mea ostenderem; eo me planè illius ipsius aulæ & judicia, & decreta, & monumenta liberabant, quibus potissimum fretus Apologiam meus ille Senex confecisse suam, mihi videbatur.

Nam si qua in ejus scriptis interdum dicta, non dicam equidem non bona, sed aculeata, ac veluti amentata legantur; ea in hostes Ecclesiæ Romanæ, in proditores bonæ causæ, in calumniatores perfrictæ frontis jactata; non video, cur sint in justam reprehensionem vocanda. Nam non inurbane scribebat olim Horatius: (a)

„ Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est, Judiciumque. Esto, si quis mala; sed bona si quis, Judice, condiderit, laudatur Cæsare. "

Sed

(a) Serm. lib. 2. Serm. 1.

Sed jam ipse per te, Lector, videre poteris, quam ego non temere ita judicarim. Legas, quæso, quæ nunc tibi apud Lusitanos vulgata scripta in eam sententiam subjicio. Ecce enim tibi offero partem ejus orationis, quam clarissimus ille togatus Franciscus Coelius Silva (a) in publica concione Civium suorum coram & omnibus Lusitani Regni Magnatibus, & Senatu, & Carvalhii filio, Comite de Oeyras, Senatus Præside (b) die 13. Maji 1777. ad Fidelissimam Reginam habebat: „ Sanguine adhuc manant vulnera, quæ in cor Lusitaniæ medium impressit administratio illa tyrannica, quæ suo velut instituto, sibique proposito agendi fine, inimica fuit humanitati, religioni, libertati, virtuti, ac bonorum omnium meritis. Lectissimis viris, Regni Flore, horribiles custodias frequentavit, & arces omnes, ac præsidia incredibili vinctorum multitudine replevit; Cives oppressit, & ad extremam miseriam redegit; Pontificiam Auctoritatem, Episcoporumque contempsit, Leges, & judicia corrupit, miseros Lusitanos, tanquam abjecta mancipia, rexit, modo valde inculto, agresti, barbaro, duro, ferreo, inhumano, & post hominum memoriam crudelissimo.

„ Omni-

(a) V. animad. VIII. ad Vitam Ven. P. Emm. Correæ pag. 30.
(b) V. Comp. hist. pag. 409.

„ Omnipotens (Dei) Brachium irritas fecit implicatissimas illas tricas, atque obstacula, quominus Majestas tua Sponsum haberet augustissimum Regem, qui hodie in nobis magna & lætitia, & felicitate nostra dominatur ... Eadem divini Numinis providentia effectum est, ut ad nihilum reciderent infames illæ (Carvalhii) machinationes, quæ adversus legitimam hæreditario jure Majestatis tuæ successionem non semel intentatæ fuerunt. &c. "

Nihil, opinor, opus sit pluribus: Quisquis enim totius Lusitaniæ gemitus audiat, & volente Fidelissima Regina palam editos, & ab illa ipsa Civium suorum optima Matre non siccis oculis acceptos videat; is, proh Divum, hominumque fidem! iniquo animo patiatur, si legat justissimas querimonias Lusitanæ Jesu Societatis, crudelissimum in modum a Carvalhio vexatæ, expulsæ, oppressæ, e typographia mea profectas? Quasi vero aliis Civibus jure liceat mala palam sua deplorare, Jesu Sociis non liceat impunè gemere, non suspiria liberiora, non vocem ullam in tam diuturno exilio emittere?

Venio ad judicium publicum a Fidelissima Regina editum, quo Marchionis Tavoræ Fratres, & in legitimam quæstionem vocatos, & de Consilii sententia innocentes judicatos, in pristina omnia Familiæ nobilissimæ jura restituebat. Res

ita

ita gesta fuit: Quo die Regina Regni possessionem creverat, facta publica potestate & Marchioni Alorno, & ejus conjugi nobilissimæ Matronæ, & binis Fratribus illius miseri Marchionis, odio Carvalhii crudelissimo devoti, Nunnio, & Emmanueli Tavoræ (iis hoc olim nomen fuerat, nunc *Lorenæ*, immutato sunt nomine), facta, inquam, iis potestate publica, ut liberi e custodia diuturna abirent, cui, tanquam fuissent conscii illius commentitiæ in Regem conjurationis, fuerant addicti; Ii omnes velle se se ea venia uti, quæ sibi quasi noxiis fieret, planè cùm negassent, enixis precibus a Regina postularunt, ut sua ipsorum Causa in integrum restituta ex Regni legibus judicaretur: Se se planè innocentes nolle videri, cum æterna ipsorum infamia, indulgentia Reginæ supplicio ereptos, qui honorem nominis amplissimi & libertati, & vitæ, & rebus omnibus, more Familiæ Tavoræ, anteponere didicissent.

Reginæ Edicto illi jussi statim e custodia abire, interea, dum eorum causa, legitimæ questioni commissa, ageretur, Ulyssipone octoginta passuum millia abesse jubebantur.

Re tota ad summam juris æquitatem exacta, de sententia regiorum Judicum pronunciatum fuit „Eos omnes ne levissima quidem suspicione ejus criminis, quo antea fuissent Ministri Car-

valhii

valhii impotenti furore condemnati, reos videri.

Quo judicio factum est, ut Regina honorificentissimo decreto mense Junio 1778. (*a*) edito, eos & edixerit insontes, & in pristina jura vel amplitudinis domesticæ, vel pecuniæ hæreditariæ restitutos voluerit, & Nunnium, & Emmanuelem Tavoram Imperatores, sive Legatos legionum Lusitanorum creaverit,

Ex hoc ipso judicio legitimo, ex hoc Reginæ decreto, ex hoc satisfactionis publico monumento si quis non absolutam illam Jesu Societatem omni impiæ coitionis in Regem suspicione, quam per latus Familiæ Tavoræ Carvalhius in Lusitanos Jesu Socios derivatam voluerat, videat; is Reginam, de Consilii gravissimi sententia Tavoræ Familiam absolventem, condemnare velle videbitur, ut illum divis, hominibusque invisum Tyrannum, crudelissimum Familiæ nobilissimæ Carnificem, absolvat.

Ecce vero aliud innocentiæ in Familia Tavoræ, per Carvalhium oppressa, publicum Reginæ judicium, quo ego fretus mihi de prolixa illius voluntate pollicebar, fore, ut sine ulla Aulæ Lusitanæ offensione hæc commentaria a me proferantur.

Undeviginti annos totos in Saccarensi Virginum

(*a*) Ex Hist. anni 1780. Typis Pitterianis pag. 261.

Collegio arctè habita illa spectatissima, ac primaria Matrona Maria Anna, eadem Marchionis Tavoræ filia, eadem Comitis Atoguiæ Hieronymi Ataidæ conjux, post immane & Patris, & Mariti supplicium in perpetuam data custodiam, utriusque miseram fortunam assiduè lugebat. Et ipsa quidem numquam in jus citata, numquam in quæstionem vocata, numquam de more interrogata, tamen in Actis illis Carvalhii, totis ex dolo, & fraude conflatis, insimulata Parricidii Regii, conscia totius conjurationis per ora Europæ nefariè traducebatur. Rege Josepho I. mortuo, cum Regina ejus Filia nominatim selectissimos Judices dedisset, qui nobilissimæ illius Viduæ causam diligentissimè cognoscerent; Illi certissimis, perspicuis, evidentibus argumentis adducti statuerunt, = Mariæ Annæ innocentiam luce meridiana apparere sibi clariorem (a) =.

De quorum Judicum gravissimorum sententia Regina, æquitatis, ac juris omnis servantissima, amplissimis verbis edictum volebat mense Julio 1780. (v. hist. an. 1780. p. 263.)

„ Innocentiam viduæ Comitissæ Atoguiæ planè,
„ atque evidenter fuisse demonstratam, ut nul-
„ lum, ne levissimum quidem, indicium, nul-
„ la omnino supicio apparuerit ejus criminis,
„ quod illi affictum antea fuisset. “ Hic

(a) V. Animad. V. VIII. ad Vitam. Correæ pag. 289.

Hic ego minimè dubito, quin & innocentia Lusitanæ Jesu Societatis multis probata ex his Regiis Edictis, ac Judiciis sit; & eamdem per me ex hac lucubratione fieri omnibus manifestiorem, Lusitana Curia æquo sit animo passura.

Quod si quis nondum de præjudicata in Jesu Societatem vel opinione, vel invidia recedat; hunc Ego oro, atque obtestor, ut quod jam profero monumentum, hoc non limis, non suffusis malevolentia oculis legat; Ex eo enim omnibus necessario credenda erit innocentissima Jesu Societas, nisi si quis putet, fidem humanam una cum Astræa Virgine penitus terras omnes deseruisse.

Recito Reginæ Fidelissimæ Edictum (*a*):

„ Quod Marchio Alornæ, idem Præfectus causis posthumæ memoriæ, idem vindex famæ & Soceri, & Socrus Marchionis, & Marchionissæ Tavoræ, & Cognatorum suorum; idem defensor honoris suæ ipsius Conjugis, nobilissimæ Matronæ, liberorumque suorum: quos omnes ille Magistratus *Inconfidentiæ* publica sententia, edita die 12. Januarii 1759., quasi affines impii Regicidii 3. Septembris 1758. ignominia, atque infamia notabat, mihi per supplicem postulationem detulerit, esse in ea illius Magistratus sententia

(*a*) Ex hist. Anni 1780, Typis Pitter. p. 263. & Theop. Amadei Muyy Tom. 10.

non modo complura peccata contra formulas juris; sed manifestissimam quoque injuriæ vim ibidem dominari, cum in illa sententia & falsa ponantur plurima, & eæ referantur, reddanturque causæ, rationesquæ, quæ in Actis ipsis omnino non compareant:

Cumque ille idem Marchio his de causis a me postularit, ut Ego indulgentia quadam extraordinaria, sive privilegio singulari, veniam sibi darem, ut illius Magistratus publica sententia, de integro cum Actis collata, a Judicibus cognoscatur: Ego Regina, re tota diu, multumque apud me cogitata, decernebam, Causam illam totam in consilio meorum Regiorum Ministrorum de integro cognosci oportere.

Cumque Ministri mei, in eam rem a me lecti Judiccs, in examen accuratissimum Actis illis, reque tota revocatis, de communi ipsorum sententia, omnibusque suffragiis pronunciarint: „ In ea causa multa ejusmodi esse præter jus ordinarium admissa, ut Ego jure summo tenerer integræ cognitioni illam rem totam referre, si semel cum aliis legibus, id prohibentibus fieri, tum vero illi die 17. Januarii 1759. de perpetuo silentio servando, derogandum esse, e re publica arbitrarer: " Ego ob has res, rationesque omnes, mihi a meo Consilio propositas, maximè quod videar in eo & divinæ, &

meæ

meæ gloriæ consultura, si apud omnes per Me constiterit, vel quo *jure*, ac *veritate* illa Magistratus *Inconfidentiæ* sententia fuerit pronunciata, vel qua *injuria*, ac *falsitate* innocentia illorum Reorum fuerit circumventa;

Edico, hujusmodi a me veniam extra ordinem *oportere* fieri, eamque Me reipsa facere *velle*, ut illa sententia cum Actis collata denuo in disquisitionem legitimam ex tam longo intervallo, singulari quadam venia mea, reducatur. In quam rem unam leges omnes *abrogatas volo*, si quæ id fieri vetent; eam illam omnium maximé, quod ad rem præsentem attinet, quæ die 17. Januarii Anno 1759. perlata fuit. &c.

Ego ipsa præterea Ministros meorum Tribunalium delegi (eosque nominatim enumerat duodeviginti), qui causam illam totam in integrum restitutam recognoscerent &c. (*a*)

Ulyssipone ex Aula Regia die 9. Octobris 1780.

Prius vero quám pronunciatam sententiam in eo selectissimorum Judicum interegerrimo Consilio referam, non possum mihi temperare, quin, cum brevi Fidelissimæ Reginæ Justitiam singulari cum prudentia conjunctam in astra, plaudentibus omnibus, ferendam esse dixerim; tum sine ulla du-

(*a*) Ex hist. an. 1780. typis Franc. Pitter Venetiis p. 265.

dubitatione mihi omnino pollicear, nihil in his commentariis parum Aulæ illi sapientissimæ futurum esse gratum, atque adeo jucundum.

Qui enim fieri possit, ut quod Edictum talis, tantæque Reginæ jure suo debeat, aut certé merito suo possit, quasi unicum, ac pulcherrimum Sapientiæ, Jutitiæ Æquitatis exemplum, summis proponi rei publicæ Moderatoribus, quibus nihil sit jure naturæ prius, nihil legibus, & divinis, & humanis, in omni Civium suorum causa antiquius; hoc a me typis vulgari, ex hoc ipso certum patrocinium innocentiæ Lusitanorum Jesu Sociorum parari, Lusitani Regni Principes invito, aut parum lubenti animo ferant?

Illud certé nemo est hodie, qui nesciat, ab illo octodecimvirum, Judicumve Regiorum consilio, qui in Magistratus *Inconfidentiæ* sententiam, qui in acta illius causæ, cum sententia composita, ac collata, severissimé inquisivissent; ita die 7. Aprilis anno 1781. (*a*) prontiatum solemni formula judicium fuisse:

,, Constare, ac plane liquere Innocentiam eo-
,, rum omnium, qua etiam nunc viventium, qua
,, vita jam functorum, qui aut suplicio extre-
,, mo affecti, aut in carcerem conjecti de sen-
,, ten-

(*a*) Anecd. Ital. Tom. II. p. 225. & animad. 8. ad vitam P. Corr. p. 239.

„ tentia illa die 12. Januar. 1759. pronunciata
„ fuissent. "

Jam ut ego silentio prætercam id, quod nemo non ipse per se viderit, non posse Jesu Lusitanos illos Socios non haberi plane innocentes, si liquido pateat, illos Magnates nihil Parricidii Regii fuisse Machinatos; cujus quidem Parricidii Inventores, ac Suasores Jesu Socios fuisse, impié mentitus fuerit Carvalhius: certé illi boni tres e Jesu Societate Sacerdotes, & Gabriel *Malagrida*, & Joannes de *Mathos*, & Joannes de *Alexandro*, qui illo Magistratus *Inconfidentiæ* judicio fuere dmnati, insontes erunt ab omnibus judicandi.

Hic non ego curiosius in arcanas Imperii rationes, per quas adhuc stetisse constat, ne in Lusitania sit de innocentia & Magnatum, & Jesu Societatis recté, atque ordine in publicum data illa Octodecimvirum Sententia, inquiram. Illud tamen ausim confirmare: neque Divos, neque Reges, neque Cives perpetuò passuros, ut, innocentia eorum, qui pro Parricidis pœnas dedissent, palam probata, ii non Parricidii suspicione publicè absolvantur, qui pro consciis, & Suasoribus fictæ illius conjurationis fuerint puniti.

Quæ adhuc monumenta exibebam, ea propriè ad Jesu Socios Lusitanos unos non pertinere, multis videri posse scio. Quæ nunc prolatum

eo,

eo, ipsa singillatim innocentiam illius Jesù So- Societatis spectabunt.

Ecce verò libellum supplicem, qui viam omnibus sternere videbatur iis argumentis, quibus oppressa tandiu innocentia caput tandem visa est attollere.

Supplex Libellus.

P. Joannis de Gusmao olim Assistenti pro Lusitaniæ Provinciis Soc. Jesu, fideliter ex Authographo translatus, datus sub dimidium anni 1777.

Fidelissima, & Agustissima Regina

„ Joannes de Gusmao ultimus Assistens Societatis Jesu pro Lusitaniæ Provincis, ac Ditionibus unum, & octoginta annos natus, & ante terribile divinnæ Justitiæ Tribunal propediem sistendus, (a) putaret, se inexpiabilis negligentiæ culpa adstrictum iri, si ad Solium, in quo Clementia, & Justitia una cum Majestate vestra sedent, confugere prætermitteret, & ante Solium ipsum genua submittens non offeret humillimum istum, observatissimumque libellum nomine sexcentorum atque eo amplius Majestatis Vestræ Subditorum, qui sunt infelices eorum reliquiæ, quos ipse in communi calamitate socios habuit.

„ Supplicat igitur, Majestati Vestræ per Jesu Christi Viscera, per ipsum Ejus Cor Sanctissimum,

(a) obiit. 14. Febr. 1781.

mum, per intimum amorem illum, quo Majestas Vestra Augusta Reginam Matrem (Mariam Annam Victoriam), quo Augustum Conjugem Regem Petrum, quo Regios Natos, & Regiæ Familiæ Principes omnes prosequitur, ne gravetur jubere, ut tot fidelium subditorum, qui palam, atque in oculis omnium mortalium infames pronuntiati fuerunt, Causa in judicium revocetur, ac recognoscatur. "

„ Lugent illi, atque ingemiscunt, quod accusati sunt scelerum, ac delictorum, quæ vel ipsi Barbari cogitare exhorrescerent, & ne capere quidem humana mens posset. Lugent, inquam, quod omnes condemnati sunt; cum tamen antea neque citati, neque interrogati fuerint, neque ulla eis dicendi copia, suique defendendi facta sit potestas. "

„ Omnes, postquam in custodias inclusi fuerunt, in hanc Pontificiam Ditionem relegati sunt, atque inter omnes de hac re convenit, idque uno ore testantur omnes: Se, quoad in duris custodiis fuerunt, a nullo Judice interrogatos fuisse. "

„ Ipse Orator, ad se quod attinet, cum multos annos eo munere perfunctus sit, in quo plenam habere potuit rerum omnium cognitionem, amplissima quoque, & maximé solemni ratione, ac forma paratus est testificari & totius Corporis

& primorum Assistentiæ Capitum innocentiam; Videlicet Corpus ipsum, & quæ, dixi, Capita nullo modo implicata esse delictis, de quibus accusantur, & quorum causa tanta hominum multitudo ab anno 1758. ad perpetuum exilium damnata fuit. "

" Orator, & una cum eo Exules ipsi omnes protestantur, se de totius Corporis innocentia certos esse, & summo consensu omne se se ultro offerunt ad sustinendum pœnas multò etiam Superiores iis, quas adhuc sustinuerunt, si unus aliquis ex istis, quibus de agitur, hominibus reperietur, qui ullius in publicam rem, vel levissimé, delicti convictus unquam fuisset.

Oratoris item Innocentia constat ex Actis, quæ summa juris severitate in eum, & in alios ejus Socios, & in ipsum commune Religionis Caput Romæ confecta sunt.

PIUS VI. nunc feliciter Regnans istiusmodi Actorum exempla vidit. In tali, tantoque Pontifice Majestas Vestra testem habet omnium locupletissimum, & quo integriorem neminem Orbis terræ universus proferre potest, simulque in eodem reperiet Judicem, de quo Injustitiam, vel minimam, suspicari nemo possit, nisi qui iniquitatis monstrum sit, atque prodigium.

Utatur igitur Majestas Vestra illa singulari Clementia, quæ tam est Majestati Vestræ ingenita,

quam

quam Solium ipsum ei debitum erat, neque rejiciat tot calamitosorum preces, quorum innocentia opprimitur, quique inter summas, quas perpessi sunt, calamitates, fideles Majestatis vestræ subditi esse nunquam desierunt, & quorum res adversæ, atque infortunia, quantumvis maxima, efficere non potuerunt, ut quidquam in eorum animis immutatum, atque imminutum sit de amore illo, atque observantia, quam ipsi erga Regiam Augustam Familiam a pueris semper conservarunt.

Omnes paratissimo animo sunt comprobare ipsis factis, sudores suos, atque adeo vitam ipsam uni Religionis bono, & Imperii Majestatis Vestræ augmento intentam esse, ac devotam. Ipsi sane nihil agere prætermittent, ut digni fiant Successores tot præstantium Virorum, qui doctrina,& catholicæ Religionis studio celeberrimi extiterunt, ac tot Martyrum, quos olim Societas Lusitaniæ peperit, vestigia sequantur. Atque ita pro gratia &c. (*a*)

Quam vero multa Reginæ Fidelissimæ ab iis aliarum Regiarum Ministris, qui de gremio, de sinu, de coitione Carvalhii ad perniciem Jesu Societatis fuerunt, objecta fuerint impedimenta,

(*a*) In Supplemento Ephemeri des Coloniens 17. Martii 1778. num. XXIV.

quo illa minus afflictis Jesu Sociis, civibus suis, opem statim ferret; non arbitror mihi nunc esse dicendum; non multo fortasse post omnia palam proferentur, si reliqui illius Carvalhianæ conjurationis conscii, adhuc incolumes, aut certe impuniti, non dicam in ordinem redacti, sed in judicium, & in certam condemnationem fuerint vocati; id, quod non procul abfuturum esse, jam multi hodie conjiciunt.

Ad Reginam redeo, quæ tandem ab *Ex-Jesuitis* in Lusitania conventa per supplicem libellum in hanc sententiam respondebat: „ Innocentia Lusitanæ Jesu Societatis est illa quidem manifesta, atque perspicua: At causa tamen hoc tempore in integrum *nondum videtur restituenda*. " (*a*) (Id ipsum respondit Societatis olim assistentibus 12. Februarii 1778. Aula Romana.)

Quod si quis tam longum silentium, in tam bona causa, interpositum ab Aula Lusitana, miretur (nonnulli enim a priore ad posteriorem libellum supplicem, cui demum Regina respondit, anni abierunt); Is ab re quidem ipsa per Carvalhium plurimis difficultatibus complicata, non ab animo Reginæ aut dubio, aut parum erga Jesu Socios prolixo, ac liberali cunctationem profectam fuisse ex iis, quæ jam dicturus sum facillimè intelliget. In

(*a*) Compend. hist. Expuls. Jes. a Luit pag. 414.

In illa enim causa multa erant ante in quæstionem & vocanda, & de Sententia Judicum a Regina datorum decidenda, Leges vel abrogandæ, vel derogandæ plurimæ.

Primum illud fuit ibi Quæsitum: Esset & Optimatum illorum, & Jesuitarum Lusitanorum eadem Causa nec ne esset? Unam, & verò eamdem Utrorumque fuisse causam, est a Judicibus responsum.

Alterum illud est Quæsitum: Posset Jesuitarum Causa ab Optimatum illorum causa Sejungi, an non posset?

Non posse a Judicibus respondebatur, cum altera sic esset ad alteram omnino affecta, ut sola per se neque cognosci, neque agi posset; quo fieret, ut concessa Optimatibus Causæ in integrum restitutione, atque cognitione, eodem jure esset Ex-Jesuitis illa ipsa facultas concedenda.

Tertium etiam quærebatur: Essent ne revocanda, atque abroganda, quæ in Edicto exilii, sive Expulsionis, in Jesuitas die 3. Octobris anno 1759. lato, continerentur, quæ ad hæc bina capita subtilius, ac planius reducebantur: Prius, utrum ne Jesuitis in ditione Pontificia versatis alimenta essent annua pensione ex ærario Lusitano solvenda? Posterius, esset ne ea pecunia Romano ærario compensanda, quam Romani Pontifices in alimenta Jesuitarum contulissent?

Cui

Cui quidem Quæsito quid sit a Judicibus responsum, Regina Fidelissima Edictis suis ostendit, cum constituit die 15. Septembris 1777., & 26. Maji 1778. solvenda Romano ærario intra decennium quadraginta Scutatorum millia in annos singulos; ex qua pecunia & alimenta Ex - Jesuitis contribuerentur, & impensæ antea in eos factæ Romano Ærario resarcirentur. (*a*)

Eadem Regina Angeyæ Marchioni, Regii Ærarii Præfecto præcipiebat 16. Julii 1787., elapso jam illo decennio, ut Romam ad Oratorem suum in singulos annos viginti Scutatorum millia ex Ærario suo curarentur, qua ex Summa in Italia Ex - Jesuitis suis, Sacerdotibus octoginta scutata, Laicis vero Sexaginta quinque quotannis tribuerentur; Egrotis autem, & Valetudinariis, & Senibus alia præterea subsidia conferrentur. (*b*)

Quin etiam illa derrogabat illi Carvalhiani Edicti capiti, quo cautum fuerat, ne expulsis e Lusitania Jesuitis jus Civitatis recuperandæ, neque in patriam remigrandi, ne si illi quidem habitum, professionemque mutassent, aliquando esset; cum Re-

(*a*) Ex hist. anni 1787. Venetiis typis Pitterianis pag. 262

(*b*) Hoc anno 1792. Serenissimus Brasiliæ Princeps Joannes, materni imperii Sapientissimus Moderator, a quo nihil est Lusitanæ Amplitudinis in Majoribus suis maximæ, quod Respublica sibi jure non polliceatur; omnibus & Sacerdotibus, & Laicis ab illa Jesu Societate addidit viginti in annos singulos alimenti gratia Scutata.

Regina liberam iis veniam ad suos revertendi in Lusitaniam omnibus faceret.

Atque hac vel æquitate, vel Clementia in absente Cives suos Fidelisima Regina de sententia Judicum utebatur, quos ipsa consuluisset, quæ sponte sua nonnullis ante annis Mense Septembri 1777. judicio suo ostenderat, quantum ab odio, ac crudelitate Carvalhii in Jesu Socios abhorreret.

Nam vix in Solio Regni sedere cœpit, cum erga illos e Jesu Societate, quos in Custodiis Lusitanis Carvalhius asservarat, illico a se in libertatem vindicatos, se se Matrem potius, quam Reginam præstabat; quippe quæ mense Octobri 1777. & Timotheo Oliveira (qui obiit 30. Martii 1793.), olim Magistro, & Confessario suo, in alimenta annua tercenta scutata (*a*), & aliis nobilissimis Jesu Sociis, quos veluti obsides impotentiæ suæ in vinculis undeviginti annos tenuisset Carvalhius, singulis ducena, & quinquaginta scutata in singulos annos attribuenda curasset.

Quin etiam dedit opera, ut Patriarcha, & Episcopi Operariis in rebus Ecclesiæ uti ne dubitarent illis e Jesu Societate Sacerdotibus, quibus opera omni Sacra, jubente Carvalhio, interdictum antea fuisset, Encyclica Regis nomine

ad

(*a*) Ex hist. anni 1780. typis Pitter Venetis pag. 262.

ad Episcopos subscripta 19. Januarii 1759. (a)
Rursus cum filia Marchionis Penalvæ apud Lusitanos Magnates Virgo nobilissima, inter Cubicularias Reginæ cooptata fuisset, ingenii, peritiæque specimen in lingua & latina, & itala &c. ejusmodi visa est exhibere, ut Petrus III. Rex ab illius Patre, audiente Regina, quæreret: Quibus demum usa Magistris tam scite loqui didicisset Filia sua? Ego, inquit ille, Franciscum Duartem Ex-Jesuitam Magistrum Filiæ dedi, quem e custodia Junqueriæ vix emissum ad me vocaveram domesticum, ac familiarem *Hoc illud est scilicet*, Rex subjiciebat *quod usus*, & *experientia toties docuerat*, *Jesuitas esse apprime factos ad Juventutem in litteris*, *ac bonis moribus erudiendam*; *quos Ego*, o *Regina*, *vehementer cupio in statum pristinum videre prius restitutos*, *quam ipse e vivis abeam*. *Tibi verò*, respondit Regina, *nihil Ego*, *si quæris*, *in illo desiderio concedo*. *Utinam bina quædam capita arcana fœderis*, *quæ tu non ignoras*, *nuper a me cum Hispano icti*, *quibus Ego Reipublicæ causa manus invitissima dabam*, *mihi ad reducendam Jesu Societatem aurea vincula non injecissent*, *cum Ego & impunitatem Carvalhii Aulæ hispaniæ postulanti pollicebar*, & *Lusitanis Jesu Sociis pristinam eorum vivendi rationem nunquam me con-*

(a) Anecd. Ital. tom. 1. pag. 257.

constituturam, confirmabam! Ut Sapientis fuit servire tempori, sic sapientis erit aliquando alia velificatione portum optatum tenere,

Quæ Augustissimorum Parentum vota in animo dignissimi hæredis, & Successoris Joannis Brasiliæ Principis, impressa, atque alté defixa sperare nos jubent, fore, ut aliquando ipsemet Princeps ea opere perficiat, neque irrita esse patiatur.

Hæ mihi visæ sunt & probabiles, & justæ causæ, ut multa alia prætercam, quibus tutó ab Lusitanis Principibus sperare posse videor, fore mihi nunquam verendum, ne Regiæ Lusitanæ Aulæ offensionem incurrerem, si hæc typis meis scripta in publicam lucem emitterem.

Nec enim mihi vero esse simile videtur, voluisse Regiam Lusitanam tot præclara innocentiæ oppressæ testimonia ipsam ultro expromere; ab aliis vero concelebrari eadem nolle.

Summam jam totius mei hujus faciam consilii. Cupio iis gratificari edendo hoc scriptorum genere, qui de Christi Ecclesia optimè, de illa Jesû Societate bene semper existimarint. Causam Lusitanæ Jesû Societatis sic cognoscendam lectoribus, judicibus meis, permitto, ut neque factis a Carvalhio adversus inimicos tot, tamque impotentibus præjudiciis sibi tenebras offundi patiantur; neque plus, quam veritas ipsa jure suo

postulet, misericordiæ erga miseros, afflictosque illos Jesu Socios largiantur, quos ego sic video animatos, ut Aulæ Regiæ Lusitanæ judicio, si quando causa ipsorum legibus dijudicetur, ad unum omnes, quos reliquos fecit diuturna gravissimorum malorum patientia, sint omnino rei exitum in utramvis partem nequissimo animo passuri.



De

De tribus in Lusitanos Jesû Socios Habitis Judiciis Prænotio.

JAm inde usque ab illo male ominato vel atrocioris odii, vel impotentis, fœdæque tragædiæ exordio, quam furiosissimus Scriba Regius, Sebastianus Carvalhius, in Jesu Socios moliebatur; ipse equidem mihi exquisita quadam cura Acta omnia institueram parare, quæ ad totam causæ illius rationem pertinere viderentur, eo scilicet consilio, ut, si quando Veritati, tyrannicum in modum oppressæ, pauló liberius in ista humanæ vitæ vicissitudine respirare liceret, mihi præsto essent monumenta, omni exceptione majora, quibus, innocentes Jesu Socios in Lusitania pessimé vexatos fuisse, palam omnibus ostenderem.

Et vero apud me sæpe tacitus mirabar, postea qui fieret, ut tam longo viginti septem annorum spatio & impuné Carvalhius a Divis, hominibusque omnia omnium generum & crimina, & scelera, & flagitia ferret; & insontes illi Lusitanæ Jesû Societatis homines in vinculis, in ærumnis in sordibus, omnibus sævientis fortunæ telis expositi, miseri, deserti, exules jacerent.

Ecce vero tibi, cum jam Arbitro illi Sapientissimo humanarum rerum, Deo, visum esset Carvalhianæ impotentiæ aliquem modum, ac finem facere, nonnulla video in vulgus latenter

exire scripta, quibus non universim Jesuitarum Lusitanorum Innocentia, sed carptim tamen, ac veluti per partes majore bonorum omnium plausu, quam obtrectatorum fremitu, vindicaretur. (a)

Quare cum ego attentius animadverterem studium illud veritatis defendendæ, non poteram tamen illud sine exceptione laudare. Laudabam illa quidem scripta, quasi pro Reis insontibus liberandis suffragia nonnulla, tabellis tacitis in vulgus exire cœpta; Consilium vero Scriptorum non satis probabam, qui cum una opera possent spicula omnia, in Lusitanæ Jesû Societatis Corpus a Sycophanta Lusitano conjecta, evellere; mallent tamen singulis quasi illius membris, quam Corpori toti opitulari. Itaque cæpi in unum Cor-

---

(a) Anno 1782. Anecdota Gallice scripta (& Anno 1783. cum Adnotationibus recusa *Administrationis Sebastiani Carvalhii* apud Janum Rovichium Varsaviæ edita.

Anno 1787. Eadem Italice conversa apud Petrum Savioni Venetiis.

Anno 1782. Memoriæ Marchionis Pombalensis 4. tomis distinctæ.

Vita Sebastiani Carvalhii 5. tomis descripta. Anno 1791. Breviarium; seu Epitome historicum Expulsionis Jesuitarum a Lusitaniæ Ditionibus.

1787. Bona Ratiocinatio in duabus Scripturis circa Acta Judicialia P. Gabrielis Malagrida.

1783. Ad omnes Principes Libellus Supplex pro Societate Jesû Norimbergæ.

1789. Vita P. Emman. Correæ una cum adjectis Animadversionibus &c.

Corpus ea, quæ apud me jam diu essent, monumenta omnia conferre, quibus causam omnem Lusitanæ Jesû Societatis sic agerem, ut si qui illam singulis purgatam criminibus in aliorum commentariis existimarent, iidem universa omnium criminationum suspicione in scripto hoc meo absolverent.

Quod totum libentius hoc ego faciebam, quod non ita pridem Marchus quidam Bolanus, quocum mihi fuissent olim necessitudinis & plurimæ, & justissimæ causæ, me vehementer per litteras rogaret, ut se, & omnes nationes una latina, & communi lingua causam totam Lusitanorum Jesû Sociorum edocerem, e quibus ille plures in Italia ejusmodi Sacerdotes, Doctoresque homines vidisset, quam ut, posse se, negaret, non optimè de tota illa hominum Societate existimare.

Equidem tres in Jesu Socios, dum Carvalhius impotentem in Lusitania tyrannidem exercebat, invenio sententias palam pronunciatas.

Primam, qua Franciscus Cardinalis Saldanha, Pontificius vel Cognitor, vel Censor, vel *Visitator*, Lusitanos Jesu Socios profanæ Negotiationis Religiosis hominibus lege canonica interdictæ, Reos declarabat.

Alteram, quam profanum illud Consilium, in quo Carvalhiani Judices consederunt adversus Cives perfidiæ suspectos, (quod *Inconfidentia*

Tri-

Tribunal Auctor ille, nihilo lingua minus, quam mente barbarus, appellarat) in illos tres Jesu Socios egregios, Gabrielem *Malagridam*, Joannem de *Mathos*, & Joannem *Alexandro*, tulerat; quos conjurationis in Regem conscios pronunciarat.

Tertiam, qua sacri Religionis violatæ Quæsitores illum ipsum Malagridam, Superstitionis Reum, & strangulandum, & flammis comburendum judicabant.

Hic nihil me velle parcere Jesû Societati, omnes, opinor, videant, cum illa dedecora singillatim persequor, quæ in Jesû Socios & tandiu in Europa, & tam late, & a tam multis viris, etiam religiosam vitam professis, occinebantur. Ita est profecto. Ulcera, Jesû Societati a Carvalhio imposita, ipse aperio, iis sponte mea denuo manus admoveo; quæ non ego veluti pudenda carcinomata, sed quasi virtutis, fortitudinis, roboris, Religionis, pietatis gloriosissima esse stigmata, infami manu inusta, contendo.

Quod utrum a me verius, an cupidius dicatur, ipse constitues, si paulisper animum, mi, Bolene, (tibi enim hanc operam potissimum navo) advertas; Primum, dum tibi litteras Benedicti XIV. Pontificis Maximi, in *forma Brevis* quibus Franciscum Cardinalem Saldanhiam creabat Visitatorem Assistentiæ Lusitanæ Jesû Societatis,

tatis, exscribo: Deinde dum malitiosissimas Carvalhii artes, quibus & Benedictum XIV., prope jam moribundum, in fraudem inducere; & imperitorum bonæ fidei dolos nectere; & nigerrimarum Calumniarum invidia Jesu Socios per manus & Romani Pontificis, & Saldanhii Cardinalis obruere conaretur. = En Breve: (a)

Dilecto Filio Nostro Francisco, S. R. E. Diacono Cardinali de Saldanha nuncupato.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. In Specula supremæ Dignitatis divina dispositione, meritis licet insufficientibus, constituti, inter multiplices rerum, negotiorumque, quibus in hac nostra ingravescente ætate, & parum firma valetudine obruimur, curas; ad ea etiam ex debito Pastoralis officii nobis commissi sollicitè advigilare debemus, per quæ Religiosa loca, illorumque personæ, divinis mancipatæ obsequiis, in pacis, & quietis tranquillitate, ac regularis vitæ, & ecclesiasticæ disciplinæ norma, coadjuvante Domino, perenniter conservari valeant. Cum, sicut pro parte Carissimi in Christo Filii nostri Josephi Portugalliæ,

&

(a) Ulyssipone 1758. in Officina Michaelis Rodriques Emi Card. Patriarchæ Typographi.

& Algarbiorum Regis Fidelissimi Nobis expositum fuit, haud levia suborta sint inconvenientia, & abusus in Provincia, seu Provinciis Clericorum Regularium Societatis Jesû tum Portugalliæ, & Algarbiæ, tum Indiarum Orientalium, & Occidentalium existentibus, dominio ejusdem Josephi Regis subjectis, de quibus omnes fere Nationes, Regionesque certiores factas esse, existimatur, propter parvum Volumen typis impressum, & tum Nobis, tum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus distributum. Nos, qui Societatem præfatam paternis complectimur affectibus, nil aliud proprium, ac decens in hoc rerum statu esse ducimus, quam juxta laudabile Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum institutum, & Consuetudinem, unum ex S. R. E. Cardinalibus deputare, ac nominare, qui primum de omnibus, & singulis hujusmodi negotiis accurate expensis plenissimè instructus, eadem ad Nos deinde referat, aperiatque, ut postea, matura consideratione adhibita, quidquid statuendum sit, opportune, & saluberrime decernamus.

Motu itaque proprio in Visitatorem Apostolicum, ac Reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jesû, in Regnis, & Ditionibus, & Provinciis etiam Indiarum, memorato Josepho Regi subjectis existentium, tenore præsentium con-

constituimus, ac deputamus; seu Circumspectioni tuae, ut cum assistentia unius, seu plurium personarum in ecclesiastica dignitate constitutarum tam in capite, quam in membris, Authoritate nostra semel visites, ac reformes; ac in earumdem personarum statum, vitam, mores, ritus, disciplinam, aliamque vivendi rationem, tam conjunctim, quam divisim, diligenter inquiras, nec non Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, sacrorumq. Canonum, & generalium Conciliorum decretis, & SS. Patrum traditionibus, atque Regulari dictæ Societatis Instituto, & Apostolicis Constitutionibus, præsertim Felicis record. Urbani PP. VIII., Predecessoris nostri, die 22. Februarii 1633., incip. *Ex debito Pastoralis Officii* &c., & a nobis per quosdam nostra in simili forma Brevis die 20. Decembris 1741. expeditas litteras, quarum initium est, *Immensa Pastorum Principis* &c., editis inhærendo, & prout occasio, rerumque qualitas, & necessitas exegerit, quacumque mutatione, correctione, emendatione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, juxta datam tibi a Domino prudentiam corrigas, emendes, renoves, revoces, ac etiam de novo condas.

Et si contigerit, te aliqua legitima de causa detineri, ut Visitationem prefatam per te ipsum extra Civitatem Lisbonensem minime facere va-

leas, alias Ecclesiasticas personas tibi bene visas; cum simili, vel limitanda potestate, in tui locum ad Visitationem, & Reformationem habendam, etiam in Indiarum Provinciis præfatis, deputandi facultatem pariter tribuimus.

Si quæ autem graviora in hujusmodi Visitatione repereris; ea omnia sub tuo sigillo clausa ad Nos quamprimum diligenter transmittas; ac Nobis referas, & patefacias, quæcumque ad hanc causam pertinere arbitraveris: Ex re enim, & tempore consilium capiemus, & effusis lacrymis Omnipotentem Deum clamore valido orabimus, atque obsecrabimus, ut quod inde statuendum sit, matura deliberatione decernamus.

Mandantes præterea omnibus, & singulis Superioribus, Ministris Clericis Regularibus, aliisque personis Provinciæ, seu Provinciarum, Domorum, Collegiorum, aliorumque locorum Societatis Jesû prædictis in præfatis Regnis, Ditionibus, & Provinciis, etiam Indiarum, ipsi Josepho Regi subjectis, sicut præmittitur, existentibus sub excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris reservatæ, præterquam in mortis articulo, ac suspensionis a divinis, & privationis suorum officiorum, aliisque arbitrio nostro infligendis pœnis, ipso facto incurrendis, ut tibi, ac personæ, seu personis per te, ut præfertur, deputandæ, seu deputan-

dis

dis in præmissis omnibus, & singulis promptè pareant, & obediant, tuaque, & illius, seu illorum salubria monita, & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent: alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleris, seu statueris in *rebelles*, ratam habebimus, & faciemus, Auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 1. Aprilis 1758., Pontificatûs nostri anno 18.

Pro Cardinali Passioneo
Joannes Florius Substitutus.

§. I.

I. JUDICIUM

Malitiose Carvalhius per *subornatos* a se Emissarios *Breve* Reformationis ab Ægroto *Benedicto XIV. aufert*.

SI ego te non male novi, mi Bolane, non parum a te jam gratiæ iniisse me putem, qui quasi primum in litteris Benedicti XIV. classicum internecini belli, in Jesu Societatem hoc sæculo medio indicti, repetendum judicaverim; non quod tu illam inimicissimo bello oppressam pro tua humanitate gaudeas; tametsi id tui loci non pauci faciant; sed quia illud non ignores, a Lucretio, latino Poeta (*a*) fortasse non malo, pessimo tamen omnium Philosopho, si christiana oracula audiamus, satis scite dictum fuisse.

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia, vexari quemquam, est jucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.

Sed ego nolo te inaniore classici unius clangore de-

(*a*) Lib. II. v. 1.

demulcere. Accipe, sis strategemata occultiora, quibus bellum cum in Jesu Societatem Carvalhius instrueret, tum iis etiam, qui nollent una secum malis artibus in Jesû Socios pugnare, indiceret.

Vides tu quidem Breve Pontificis Romani Francisco S. R. E. Diacono, Cardinali *de Saldanha*, fuisse inscriptum: Quod totum fortasse credas, non Carvalhio uni, sed Romani Pontificis arbitrio esse ascribendum. At in eo ne erres, mi Bolane, rem totam a principio accipe.

Jam pridem Carvalhius ab anno 1750., quo Joannes V., primus dictus Fidelissimus Lusitaniæ Rex, (*a*) diem supremum obiisset, consilium perdendæ in Lusitania, ubi sibi primam per occasionem liceret Jesù Societatis cœperat; quam authoritate apud Aulam Regiam suis vel pestiferis conatibus, vel liberrimæ rerum omnium potestati, ac dominationi moram allaturam esse, judicabat. Quod ille consilium, sibi cum multis aliis Regum aliorum Ministris commune, Mantuæ Carpetanorum in convivio quodam nobili significaverat, cum diceret „ Fieri non posse, ut „ omnia Regii Ministri possent, dum Confessa- „ rii e Jesu Societate Regii quicquam apud Aulas „ Regias possent. "

§. II.

(*a*) Brev. histor. Expuls. Jes. e Lusit. pag. 34.

§. II.

Carvalhius carcere perpetuo punit Franciscum ab Annuntiatione, detrectantem Reformatoris Jesuitarum munus oblatum.

Ergo, ubi primùm nuncius est Carvalhio allatus de valetudine ingravescente, & prope desperata Senioris Benedicti XIV., morbum Pontificis Romani suam ipse occasionem ratus, ad se per literas vocat virum illum religiossimum Franciscum de Annuntiatione, Canonicum Regularem Ordinis Augustiniani, & Academiæ Conimbricensis Reformatorem (*a*).

Ausus ei Carvalhius misterium non tam consilii sui, quam iniquitatis extremæ impudentismam audaciam aperire. Ubi videt, Virum, justitiæ tenacem, nulla ratione posse adduci, ut, si semel Visitator a Pontifice Romano crearetur, vellet in perniciem Jesû Societatis censura abuti sua; adeo excandescere, ac furere cœpit, ut illum in cœnobium Ordinis sui loco carceris conjiciendum præceperit, ubi ille immortuus est.

Deinde secum Carvalhius hæc. Si hac non processit, alia aggrediamur via. Hic habeo, ait, ad manum Purpuratum istum Patrem Saldanham

(*a*) Brev. hist. Expuls. Jes. pag. 67.

danham: hunc ego comem, & facilem virum pro Augustiniano isto Canonico, nimium religiosæ conscientiæ retinente, Censorem Jesû Societatis creandum Romæ facilè curabo. Quid enim mihi non gratificetur bonus Saldanha, vir parvi, & indulgentis animi, nec ab ambitione omnino intacti? Quem ego vel terrore supercilii Regii a salute Jesuitarum abducere, vel ostenso Patriarchatus honore ad eorum perniciem facillime mihi videor posse pellicere.

§. III.

Carvalhius ausum Andradium Oratorem sibi Romæ non morigerari in procuranda *Reformatione, carceri addicit*.

SEd enim cum Ulyssipone omnia per Saldanham sibi Carvalhius ex animi sui sententia pollicetur, nihil Romæ, dum ibi res per Antonium Andradium Freirem Insorrabodium, Oratorem Lusitanum, ageretur (*a*), assecuturum se esse opinabatur; Virum clarissimum, cui & fraudes Carvalhii facile apparuissent, & semel manifestæ sine dubio irritæ ejusdem opera futuræ fuissent.

Illud

(*a*) Brev. hist. pag. 56.

Illud equidem non ausim pro certo ponere: Oratorem illum Andradium, a Carvalhio de tota malitiæ suæ ratione appellatum, omnino se se a tam fœda molitione alienum ostendisse: At eam certé fuisse Carvalhio causam, plurimi suspicabantur, cur Andradium per summam injuriam statim ab Urbe in Belgium Legatum mitteret, Belgio deinde Ulyssiponem accersitum in carcerem detruderet, ibi viginti duos annos retentum.

Quam suspicionem satis, superque probabilem & integritas Andradii summa, & dignitas omnibus spectata, & viginti duorum annorum, quandiu Tyrannus ille regnavit, teterrima in vinculis custodia efficiebant; a qua Vir clarissimus, cum esset, mortuo Josepho I., per Reginam eductus, illico creatus est Magnus Lusitaniæ Cancellarius.

At Carvalhius, qui semel æquitatis, ac moderationis fines esset transgressus, effræni, atque impudentissima quadam pertinacia in injuria urgenda perseveravit; qui Andradio in Aula Romana succedere jussit Oratorem alium, Franciscum illum Almadam, (*a*) nihilo minus rerum imperitum, quám in agendo vecordem, ac prope furiosum, ad arbitrium Carvalhii factum, Lusitani Regni in Urbe maculam, atque opprobrium, quod

(*a*) In Vita P. Correæ pag. 263 Animad. 3.

quod expiare, mortuo Josepho I., Regina omni ratione conata omnino non potuit.

§. IV.

Malis artibus per Oratorem Almadam circumventus Æger Benedictus XIV:, Visitatorem Saldanham *dicebat*.

ERgo Carvalhius Almadæ suo binis litteris, alteris VIII. Idus Octobris (*a*) anno 1757., alteris IV. Idus Februarii (*b*) anno 1758. scriptis, præcipiebat, ut summa ope a Benedicto XIV., gravius ægrotante, Breve extorqueret de Reformatione Jesû Societatis in Imperio Lusitano: quibus litteris valde hominem admonebat, ut clanculum per quosdam emissarios, Jesû Societati inimicissimos, (eos ænigmaticis notis utrique apprime notis indicabat) rem totam conficiendam curaret, ne quid Jesuitarum natio persentisceret; quod quo commodius, ac prolixius obtineret; illis, conjuratis in Jesû Societatem hostibus, (*c*) triginta Aureorum millia primó pro re bene gerenda distribueret, deinde rem bene gestam ampliore prœmio cumulaturus.

(*a*) Brev. histor p. 57. (*b*) ibidem p. 60.
(*c*) V. Animad. 3. ad Vitam P. Correæ pag. 194.

Quæ cum ita Romæ fierent, nihil inde causæ fuisse, mi Bolane, vides, cur tantopere mirati non pauci fuerint, Benedictum XIV. & languore senectæ, & valetudinis morbo, & conjurate, potentisque factionis fraudibus circumventum, morem Carvalhio in Saldanha Visitatore constituendo gessisse. Nec enim sanus unquam Benedictus sibi persuaderi fuisset passus, ut per speciosa violati officii mendacia, per quæsitum disciplinæ restrigendæ colorem, per impudentem defectionis calumniam ab ipso Carvalhio disseminatam, sine amplioris suspicionis examine, Visitatorem Jesû Societati creandum decerneret.

Hic si in re paulo acerbiore per ludum, & jocum dicere verum non dedeceat, tibi illud a Benedicto non insulsè dictum de Rege Paraquario Nicolao I., qui e malè sano Carvalhii cerebro abortivus in Jesû Socios immissus fuerat, Bolane, referam. Ergo Benedictus, „ cui ridiculum, acri fortius, ac melius, magnas plerumque secaret res “, ad præsentes fabulæ Narratores conversus: Quæso, ait, a vobis: Rex iste, Laicus Paraquariæ, est Eunuchus a Jesuitis factus, an non? Cum illi negarent, in Republica illa recenti Paraquariæ Eunuchum Regem describi Nicolaum I.; „ ergo Rex quidem nullus Nicolaus, subjiciebat, creatus est a Jesuitis, qui Coronam Societati servassent suæ, non masculi Regis proli credidissent “. Adeo

Adeo Benedictus pro ridiculo, dum bene valeret, Carvalhium habuerat, Auctorem fabulæ de Paraquaria Republica, quam potissimum fabulam pro causa creandi Visitatoris reddebat is, quicumque Breve ad Reformatorem Saldanham scripsisset.

§. V.

Benedictus XIV. integer viribus, cautior in Visitatore legendo futurus *omnino fuisset*.

ERgo ad Breve moribundi Benedicti XIV. propius accedamus. „ Inter multiplices, inquit, rerum, negotiorumque, quibus in hac nostra ingravescente ætate, & parum firma valetudine obruimur, curas, ad ea etiam sollicitè vigilare debemus, quæ ad conservandam perennem in religiosis personis ecclesiasticam disciplinam, atque ad corrigendam in illis perniciosam vitæ licentiam pertineant. " In hanc sententiam præfatus doctissimus Pontifex id, quod in Edictis suis optimi quique Principes faciunt, ad caput ipsum causæ descendebat.

„ Pro parte, ajebat, charissimi in Christo Filii nostri Josephi I. . . nobis expositum fuit, quod haud levia suborta sint inconvenientia, & abusus in Provincia, seu Provinciis Clericorum Re-

Regularium Societatis Jesû tum Portugalliæ, & Algarbiorum, tum Indiarum Orientalium, & Occidentalium existentibus, dominio ejusdem Josephi Regis subjectis, de quibus *omnes* fere *Nationes*, *Regionesque* certiores factas esse, existimatur, propter parvum volumen typis impressum, & tum Nobis, tum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus distributum. "

Habes hic paucis comprehensam verbis, mî Bolane, causæ totius constitutionem, in qua de Censore creando agebatur, qui Lusîtanam Jesû Societatem, male audientem ob *parvum volumen* typis editum, & passim Romæ divulgatum, ad officii religiosi meliorem frugem revocaret.

Et primum omnium, ut nemo non vigilantiam laudet in ætate ingravescente, in infirma valetudine, extrema vitæ actione, Romani Pontificis, qui religiosæ disciplinæ, etiam moribundus, tantopere consuleret; Sic omnes boni in Benedicto eam virium firmitatem desiderent, per quam eî licuisset in Actorem totius causæ more suo, idest cautius, ac lentius inquirere.

Nihil nunc dicam de vesano Oratore Almada, qui bene valenti Benedicto suspectam totam postulationem sic fecisset, ut ejus unius fidei sine ampliore discussione credendum, Romanus ille Pontifex jure Visitatorem non existimasset: cum non raro accidat, ut Oratores ad suum ipsorum arbi-

arbitrium, non ad Principum judicium, libellos supplices vel fingant, vel certè moderentur; cujus vel politicæ prævaricationis, vel mentitæ fidei nostra hæc ætas, fraudis fœcundissima, non est passa, nos exempla desiderare. (*a*)

§. VI.

Nomine Regis fraudulenter in Visitatore extorquendo abusus Carvalhius, non erat Romæ *audiendus*.

DE Carvalhio illo, jam tum omnia novare incipiente, si satis quidem bene Pontifex Maximus valuisset, sine ulla dubitatione prius quæsivisset, quàm ad ejus arbitrium Visitatorem nominasset. At enim postulatio tota nomine Josephi Regis nitebatur. Audio politicam cantilenam & quidem pessima quæque Carvalhii Consulta, quorum tam valde jam morti proximum Josephum pœnituisse, Pius VI. apud Patres Purpuratos asseverabat, nomine regio, regio edicto, regio imperio fieri a Carvalhio diceban-

(*a*) Nuper plurimus ab Hispania rumor venerat, multa regio nomine fuisse Romæ superioribus his annis postulata, quæ concessa, penitus Regi nova contigissent; potissimùm recentem illas Jejuniorum, & festorum dierum innovationem, Regi optimo & toti Hispaniæ odiosam.

bantur. Quasi vero non ea sit solemnis mali cujuslibet Ministri calumnia, ut auctoritate regia omnia facinora sua sanciat. Certé res ipsa ad extremum palam omnibus fecit, Josephum Regem usque ad ultimum Regni sui tempus iis fuisse artibus a Carvalhio circumventum, ut Rex in præcipiendo Ministro pareret suo, in regnando serviret, in imperando Carvalhii voluntati sæpe Josephus I. obediret.

At petitio tota nomine Josephi Regis fiebat. Quid? tam imperitus artium aulicarum Benedictus erat, ut, si illi per valetudinem licuisset, in re tam nova, tam inopinata, tam per se gravi, non ante ad Nuntium Ulyssiponem de re tota scriberet? non ante, num Rex ita ex animo cuperet, inquireret? Certé nemini Benedictus XIV., & ingenii acumine, & regendi usu, & conjiciendi dexteritate Romanorum Pontificum cum concederet, non illud cautionis genus omisisset in actione, per se suspicionis plenissima, quod de more prudentissimus quisque Judex solet adhibere.

An vero sapientissimus ille Pontifex Benedictus, juris omnis & divini, & humani consultissimus, cum deferri sibi *inconvenientia*, & *abusus*, pessima & facinora, & exempla Jesû Societatis in Lusitanis Provinciis videret; non prius lentè inquisivisset, modo valetudo non fracta fuis-

fuisset, quo auctore, quo teste, cujus Litteris, qua criminis verisimilitudine deferrentur?

Nondum dico id, quod confessione extrema delatoris Carvalhii in judicium recté, atque ordine a Regina vocati, omnibus apparuit nulla fuisse sua illa *inconvenientia*, nullos *abusus*, nulla peccata, nulla crimina in Lusitana Jesû Societate; sed ficta omnia delicta ab eodem illo Sejano Pombalensi fuisse Pontifici delata.

§ VII.

Parvum volumen typis impressum pro famoso libello fide indigno sine examine erat *habendum*.

ILlud dico ex illis artificiosissimis Carvalhii verbis, de quibus (criminibus scilicet, Lusitanæ Jesû Societati per Carvalhium confictis) „ *omnes fere Nationes, Regionesque certiores factas esse existimatur propter parvum volumen* typis impressum, & tum Nobis, tum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus distributum " Ex istis inquam verbis, doli, fraudis, insidiarum plenissimis; id quod paulo post in oculis omnium defixurum me esse promitto; Benedictum inquam, sanum, & bene valentem numquam eo fuisse descensurum, ut suspectam Jesû Societatem haberet, nisi prius

inqui-

inquisisset, cujus opera parvum volumen prodiisset, quibus potissimum hominibus arrisisset, quibus rerum testimoniis se volumen parvum, pravumque commendasset. Quasi vero ille ipse Benedictus ignorasset, eo quasi salutari ad bonum Ecclesiæ catholicæ fato natam Jesu Societatem fuisse, ut jam inde ab Ignatio, Sanctissimo ejus Conditore, omnia in Jesû Socios mendacia, flagitia, crimina fingerentur; omne calumniarum genus, partim ab odio hæreticorum, partim a simultate improborum, partim a multorum obtrectatione, satis ad speciem bonorum, per omnes Nationes, per omnes Regiones, non parvis jam voluminibus, non anonymis libellis, sed plenis tomorum maximorum plaustris, sed magnis, ac famosis Scriptorum nominibus distribuerentur.

Omnino illud ita se habere, Benedictus noveverat; quemadmodum Jesus (qui suo de nomine dici Jesû Societatem, volente Paulo III., providisset) positus fuisset in signum, cui contradicetur; sic non sine Numine factum per duo sæcula fuisse, ut ubique illi Societati Jesû contradiceretur: id, quod & nascenti Ecclesiæ contigerat, & quod Ignatius, in magno quodam munere a Superis, multorum annorum precibus, se ad extremum obtinuisse, Ribadeneriæ suo narraverat.

Cir-

Circumventus ergo dolis Benedictus, valetudine infirmiore gravatus, ingravescente ætate præpeditus, inquirere in Auctorem parvi, pusilli, pravi, infamis libelli, priusquam Saldanham, legerat Visitatorem, desiit, contra quam jura omnia præcipere videbantur. (*a*)

Quæ, nisi me omnia fallunt, tu ipse mi Bolane, vides esse ejusmodi, quæ in prudentiam, in æquitatem, in vigilantiam, in cautionem Benedicti, suis & viribus, & consiliis usi, cadere non potuissent.

§. VIII.

Parvum Volumen, in brevi indicatum sine nomine, erat Respublica Jesuitarum a Carvalhio *conficta*.

Atque ut malitiam Carvalhii delatoris quasi manibus ipsis comprehensam teneas, quæso, diligentius una mecum in parvum volumen

(*a*) Ex Concil. Later. IV. can. 8. *qualiter*, & *quomodo debet Prælatus procedere*.

Ex auctoritatibus novi (Lucæ 16.), & veteris testamenti (Gen. 28.) colligitur evidenter, quod non solum cum subditus, verum etiam cum Prælatus excedit, si per clamorem, & famam ad aures Superioris pervenit, non quidem a malevolis, & maledicis, sed a providis, & honestis, non semel tantum, sed sæpe, quod *clamor* innuit, & *diffamatio* manifestat; debet coram Ecclesiæ *Senioribus diligentius perscrutari &c.* m. c. 69.

typis impressum paulisper inquiras. Quod demum, aut quale erat parvum Volumen? In litteris quidem Benedicti non titulum parvi voluminis, non libelli famosi indicem, non nomen Scriptoris falsarii, non tempus impressi parvi Voluminis lego.

Quæ, malum! nova ista ratio instituitur *Romæ* testimonii sine auctore, testis sine nomine producendi? Qui factum est, ut iste Scriptor librarius censorii Brevis de Visitatore Saldanha constituendo, præter morem Curiæ Romanæ, præter tritam allegationum farraginem, parvum Volumen, anonymum, intestabile, sacrum, male ominatum pro testimonio excitet? Num hic latet anguis in herba?

Dic, sodes, conducte Scriptor, parvi voluminis titulum? Dic Scriptoris nomen? Non opus est dicto: non dico. Cur vero non? Quia id conceptis verbis dici, prohibet Carvalhius in epistola ad Almadam suum, meumque divisorem scripta, minatus, nihil se in manum auri cruciati ei daturum, si quis in Brevi Visitationis *Jesuitarum Rempublicam*, suam ipsius Carvalhii manu conflatam nominet.

Itera dum eadem ista mihi; non enim satis intellexisse videor. Parvum inquis Volumen fuisse *Rempublicam Jesuitarum*? Ergo parvum, ac pravum *Volumen Jesuitarum Reipublicæ* in brevi

reti-

reticetur. Nunc video, callidissimé calumniatorem Ministrum, nomen parvi voluminis proprium, cane pejus, & angue fugisse.

Nam eo voluminis nomine palam prolato coram Pontifice Romano, periculum certissimum fuisse videbat, ne in examen *Respublica* illa *Jesuitarum*, plusquam Platonica, Romæ adducta, nunquam novum Censorem Saldanham pateretur a Benedicto creari. Ipse enim Benedictus, etiam parum bene valens, ubi in Brevi sibi recitando nomen ex ore Librarii *Respublica Jesuitarum*, audisset; fortasse novam calumniam, novam molitionem veritus fuisset: certé quidem meminisset in Lusitania ipsa paulo ante factum fuisse, ut *parvum volumen*, in quo lateret commentitia *Jesuitarum Respublica*, auctoritate Ecclesiastica flammis addiceretur; ex quo factum fuisset, ut sine ulla dubitatione consilia Carvalhii patuissent, & ipsius Benedicti decretum tamquam obreptitium summo cum utriusque Aulæ dedecore judicaretur.

§. IX.

Brevis Relatio Reipublicæ Jesuitarum ficta, instructa, ornata, vulgata passim a *Carvalhio*.

ESto tamen: nihil fuisset Benedictus ea calumnia commotus; nihil nova Republica offensus, Breve Visitationis, vel ambitioni Carvalhii dedisset, vel gratiæ Præfecti Brevium, insigniter perosi Jesû Societatem, concessisset: tamen, si Rescriptum Benedicti jam ad Lusitanos allatum, palam mentitum fuisset, ideo æquum esse, Visitationem Jesû Sociis indici, quod eorum *plurima inconvenientia*, *plurimos abusus*, plurima monstra, ac prodigia *Reipublicæ Jesuitarum* Scriptor esset commentus; profecto pro spurio, pro supposito, pro adulterino, pro falso, pro obreptitio, pro Carvalhiano fuisset ab omnibus reputatum.

Hoc loco me plurimum operæ meæ pretium, si subtilius fabulam Reipublicæ Jesuitarum persequar; te etiam, mi Bolane, aliquod esse facturum, si attentius audias, existimo. Des ergo bonus mihi operam. Carvalhius, qui cum multis aliis de causis, tum eo potissimúm nomine Jesû Societatem ulcisci vellet, quod per eam stetisse sibi persuasisset, ne in terminandis

Ame-

Americanis finibus ditionis Hispanicæ, & Lusitanicæ ingens accessio Lusitanæ ditioni fieret; cœpit jam ab anno 1757. totus in eo esse, ut, quod nullo jure sibi liceret, id per summam calumniam, per adictam sibi fidem, vel potius perfidiam Scriptorum venalium obtineret: Ergo cum *parvum volumen* a Benedicto indicatum, cui (*a*) titulus: *Brevis Relatio* Reipublicæ, quam Religiosi Societatis Jesû Provinciæ Lusitanæ, & Hispanæ in utriusque Imperii ditionibus constituerunt, & Belli, quod in eisdem declararunt, & sustinuerunt adversus exercitus Hispanum, & Lusitanum: hoc, inquam, parvum volumen, vel ipse cum per se Carvalhius, verbosissimus Scriptor, finxisset, vel fingendum asseclis suis dedisset; (*b*) III. nonas Decembris 1757. manibus ipse suis illam *Brevem Relationem* Carvalhius Episcopis, Præfectis Ordinum Religiosorum, Lusitanis Magnatibus, Legatis Regum Ulyssipone dividebat.

Neque ea tam insolentis odii sui, ac calumniæ jactatione domi contentus; illam *Brevem Relationem* Reipublicæ a se inventæ, missam ad Oratores Lusitanos circum omnes Reges, ac Populos, omnibus Europæ linguis interpretandam, dili-

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 46.
(*b*) Adnot. 1. pag. 177. *Illud parvum Volumen*.

diligentissimé pro imperio curabat (*a*).

§. X.

Brevis Relatio Jesuitarum a Fidei Quæsitore flammis adicta, ab aliis Ecclesiæ Præfectis legi vetita apud *Lusitanos*.

Atqui, si unquam aliás, tum vel maximé in illa Carvalhiana *Relatione* patuit, non semper veritatem a mendacio, Justitiam a potentia, æquitatem a gratia superari. Vix enim Carvalhius, niger ille corvus, nigriorem illum Reipublicæ suæ pullum produxerat; cum omnes & sacri, & politici Magistratus, novum prodigium detestati, diris, execrationibusque suis expiandum censuerunt.

In ipsa enim Lusitania fidei Quæsitor Franciscus Mendezius (*b*) Brevem Relationem Reipublicæ Jesuitarum, e Carvalhiano cerebro recentem, sacris facibus cremandam decernebat.

Eborensis item Archiepiscopus (*c*) Michael de Tavora oves suas ab aspectu *Brevis Relationis*, quasi a fascinante aliquo Basilisco, privatim (per edictum non licebat) deterrebat.

Quin

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 129.
(*b*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 133. : Suis manibus igni tradidit.
(*c*) Anecd. Gallicè script. 2. Edit.; Lib. 2.

Quin etiam Prior Carmelitarum Fratrum Excalceatorum, cum eos in Concilium convocasset, *Brevis Relationis* lectionem severé prohibebat.

Universitas Conimbricensis id ipsum censuit. Jam tu, opinor, etiamsi nullus ego te moneam, apertissimé., mi Bolane, perspicis, non dico, quam sublestæ fidei, quam artificiosæ calumniæ, quam impotentis odii, quam projectæ temeritatis plena esset illa *Brevis Relatio*; sed illud certé, quam malitiosé a Sycophanta Purpurato Carvalhio Romæ per Almadam ageretur, ne in Brevi Pontificio nomen audiretur *Brevis Relationis*, quo uno ascripto, fides omnis fuisset Brevi illi Censorio in Lusitania abroganda.

§. XI.

Et Romæ a Clemente XIII., & Matriti a Quæsitore Fidei Supremo Parvum Volumen una cum similibus Libellis legi *vetitum*.

VIde jam nunc, quid alibi in parvum illud volumen, quod Romæ & Benedicto Pontifici, & ejus Ven. Fratribus S. R. E. Cardinalibus fuisset per Carvalhianos Diribitores in manus datum, sit paucis post annis constitutum.

Clemens quidem XIII., qui Benedicto successit,

sit, cum parvum volumen ficulneum illud commen, in quo Breve Benedictinum de lustrandis per Saldanham Lusitanis Jesû Sociis totum inniteretur, & ipsum malitiosissimis calumniis refertum cerneret, & uberrimum aliorum libellorum infamium, quos paulo ante infimæ paginæ illinebat, fontem comperisset; rogatus ab Episcopis, ut gliscenti infamiæ obviam iret, ut exemplo perniciem veritati trahenti viam præcluderet, ut frænum maledicentiæ Carvalhianæ injiceret; cum parvum illud volumen, tum illius Appendices omnes, in tam multis infamibus libellis dispersas, quas *Invidentiæ*, & *impietatis fructus*, post earum examen diligentissimum, appellabat, Pontificia volebat Auctoritate condemnata.

Idem ille æquitatis Antistes servantissimus sibi nondum fuisse satis Romana Censura arbitratus, nisi eam passim in Catholicis Provinciis notam videret, per Litteras suum in Hispania Legatum admonebat, ut venenatam Carvalhiano afflatu infamium libellorum segetem, maxime vero Brevem Relationem, post diligentissimam discussionem condemnandam curaret (*a*).

Quo factum est, ut Supremus in Hispania fidei Quæsitor, Emmanuel Quintano Bonifatius (*b*), non

(*a*) Animad. 3. ad vitam P. Corr. pag. 235.
(*b*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 112.

non modo omne genus illud libellorum satyricorum una cum Parvo Volumine, *Brevis Relatio*, edicto suo notaret; verum etiam in certos quosdam homines regulares, qui eas merces carvalhianas, multum a se ipsis commendatas, quasi religiosi succi plenissimas, & vendere emptoribus, & non emptoribus gratis donare non dubitarent, animadverterint. Videbat enim, in Typographum Nicolaum Pagliarinium Romæ animadversum fuisse a mitissimo Clemente XIII. (*a*), ejus capitis sententia in exilium commutata.

Liceat mihi Carvalhium alloqui: i nunc, Carvalhi, Breve censorium Benedicti obreptitium exosculare: Bullam *Apostolicum* Clementis furiis omnibus devove (*b*).

§. XII.

Quo consilio Parvum Volumen fuerit a Calumniatore Carvalhio *confictum*?

Illud quidem certè Parvum Volumen, moribundo propemodum Benedicto Romæ per dolum malum commendatum, adeo Regiis Castellæ Consiliariis non placuit, ut de communi totius

(*a*) Adnot. pag. 67.
(*b*) Hist. ann. 1765. p. 235. Quia Palafoxio contraria.

Consilii sententia, reclamante per emissarios suos Carvalhio, & omnia Matriti miscere conante, fuerit per publicum Carnificem (*a*) combustum. Quo in judicio nihil est actum, quod ab illius Supremi Consilii gravitate non jus ipsum flagitare videretur. Illi enim Senatores, quibus semper fuisset & invisa, & suspecta actio tota Carvalhiana, per quam res Lusitana in Paraquaria damno imminutæ Hispanicæ dominationis cresceret, jam a principio suspicati, nihil veri, nihil æqui, nihil moderati ab ore Carvalhiano expectandum; fabulosam Rempublicam totam fuisse, ex actis publicis, in ipsa Paraquaria confectis, nullo negotio comperiebant. Res in hunc modum acta est.

Prætor in Provinciam *Bonariam* missus erat vir ille clarissimus, Petrus Zevallius, dux nihilo manu minus, quam consilio bonus. Is vix in Paraquariam, quæ Regio provinciæ suæ pareret, delatus, facile calumniam totam de Republica Jesuitica deprehendit, quam ibi duo Lusitani, Joannes (*b*) Gomesius urbis S. Sebastiani in Brasilia, & Franciscus Xaverius Mendoza, Carvalhii germanus Frater, Paraensium in Marinonia, Præfecti (*c*) exorsi, prætexendam illi ipsi in

(*a*) V. Anecd. Ital. tom. I. p. 112.
(*b*) V. Animad. 3. ad vitam P. Corr. p. 192.
(*c*) V. Compend. Hist. p. 52.

in Lusitania fraudis artifici Carvalhio dedissent; & eo quidem facilius deprehendit, quo nonnulli Hispani, de commutandis cum Lusitano quibusdam Oppidis missi, turpius fuissent prævaricati, duce, & auctore Marchione Valdelirio, fidissimo perfidiæ Carvalhianæ Ministro.

Res in eo erat tota, non, utrum in Paraquaria lateret Respublica, quam nondum Carvalhius abortivam peperisset; sed utrum per Jesuitas, qui apud Guaranos septem Ecclesiis præessent, stetisset, quominus illi vici septem a suis sedibus in novas sedes emigrassent. Septem enim illos vicos, quos bonis nominibus Divorum, Michaelis, Laurentii, Aloysii, Joannis, Angelorum, Nicolai, Francisci Borgiæ, insignitos, Jesû Socii Missionarii in iis Barbarorum finibus condidissent, vacuos sibi tradi Lusitani una cum eorum culto agro ex fœdere; (*a*) mense Februario 1750. icto inter Hispanum, & Lusitanum Regem, postulabant.

Et illi quidem Jesû Socii, cum omnia manibus, pedibusque apud illos Pagorum incolas obnixe fecissent, ut eos e patriis focis, agris, finibus in deserta loca, in campos incultos, in infestas barbarorum latrociniis terras extractos abducerent; neque vi orationis nudæ id essent

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. p. 47.

assecuti, quod vis unquam sine armorum strepitu maximi Imperatores effecerunt; invidiam rei totius ii Regum Duces, quibus datum esset negotium expellendorum e suis aris, atque focis Guaraniorum, in Jesû Socios illarum Ecclesiarum Parochos a se avertendum curaverunt.

Quare Regii Curatores per inediam, per minas, per terrorem quæstionis a captivis nonnullis Vicanis, qui inviti fateri cogerentur, confessionem extorsere, Jesuitas auctores sibi fuisse non emigrandi, eamque rem jactare cœperunt.

§. XIII.

Prætor Bonariensis Zevallius publico judicio Calumniam Reipublicæ Jesuiticæ in re præsenti *refellit*.

AT Zevallius, vir omnium integerrimus, atque antiquæ illius Hispanorum fidei suopte ingenio retinentissimus, calumniæ rationem totam prius non leviter subodoratus, eam publico habendo judicio sibi discutiendam existimavit.

In Pago Paraquariæ S. Francisci Borgiæ porticus erat templo contigua: ibi suggestum sibi fieri Imperator præcepit. Ad se Valderium, Viannam, Salam, Navarram, aliosque ex Consilio Hispani exercitus Duces, ac primos Centuriones con-

convocat: Binas linguæ Guaranianæ interpretes, Villanovam, & Casaensezium adhibet: Ex septem illis pagis complures homines coram citari jubet, quos octingentis Hispanis militibus, quasi corona circumdat. Ibi e loco superiore Prætor palam Vicanos illos primum sic interrogat: (*a*) Ad vos perlatum ne fuit Edictum, quo Ferdinandus VI. Rex præcipiebat, ut septem Pagos (Pagos ex ordine nominabat) in jus, ac ditionem Josephi I. Lusitani Regis transirent; an non?

Ad hanc quæstionem omnes illi Vicanorum Phylarchi una voce respondent: Nobis satis, superque Edictum Regium Ferdinandi VI. perlatum fuit.

Deinde quærebat Prætor: quinam illi fuere, qui vos de illo Ferdinandi VI. Edicto certiores fecissent? (*b*)

Vicani omnes respondent: Edictum illud nostri Missionarii Patres e Societate Jesû, suo quisque Vico, nobis non denunciabant modo, verum etiam, ut illi pareremus, summopere hortati, multis & precibus, & lacrymis nobiscum agebant.

Tum vero Prætor: qua vos de causa Edicto non audientes eratis?

Illi

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. p. 106:
(*b*) Ibid. p. 108. & p. 67.

Illi veró : his pluribus de causis obtemperare desinebamus . I. quod in brevissima emigrationi dies, ad *mensem* scilicet ab Edicto *tertium*, nobis dicebatur, ut & sedem aptam domiciliis exploraremus, & domicilia nobis peregre pararemus, & in novam Coloniam nostra omnia transferremus .

Secunda Causa : nos vero ab obsequio amor Patriæ adeo remorabatur, ut nos plane cogeret nolle natale solum, nolle focos, nolle domos, curas, sepulchra Majorum relinquere, pro quibus acerrimé nos debere etiam certare opinabamur .

Tertia causa: maximé itidem nos hæreditarium veluti odium in Lusitanos instigabat, a quibus & tam sæpe, pessime essemus vexati, & quibus vivi, videntesque immobilia bona omnia nostra ea emigratione cedere adigebamur . (*a*)

Quarta causa ; species denique illa teterrima tam multarum ærumnarum animo nostro observata, cum videremus in apertam nos jamjam incursuros esse perniciem, qui sine commeatibus paratis, sine semente in annum proximum, inter infestas, barbarasque nationes iter facere tercentum amplius leucarum, una cum ingenti turba triginta millium hominum, in quibus tot infantes,

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 66.

fantes, tot pueri, tot fœminæ, tot essent senes cogeremur; plané nos ab obsequendi consilio revocabat, cum potissimum armenta, quæ nobis ad victum essent necessaria, vix posse nobiscum abigere videremus, quæ Lusitanis essent lucro futura. (*a*)

Ad hæc rogabat Prætor. Ecquis Missionarius septem Vicorum, aliusve e Societate Jesû hortator, suasor, auctor laudator, erat istius vestri de bello gerendo consilii?

Tum vero eos vidisses Guaranios, & lacrymantes, & manus ad Cœlum tendentes, & uno omnes ore, „nos verò miseros, exclamantes, ac plane cæcos! qui non modo nostros Patres, nos a consilio deterrentes, & (*b*) nobis hæc, quæ modo mala patimur, vaticinantes, audire noluimus; sed eos indignum in modum verbis acceptos, adhibitis etiam perpetuis & custodiis, & vigiliis, manere apud nos invitissimos, proposito mortis periculo, coegerimus." (*c*)

§. XIV.

(*a*) Ibidem pag. 66.

Illius modi violentas, barbarasque conditiones Valdelirius, gratificatus Carvalhio, apud illos urgebat conculcatis Regis humanissimi litteris 16. Februarii, & mense Decembris 1753. scriptis, quibus eas reprobabat. Anecd. Ital. tom. I. pag. 68.

(*b*) V. Adnot. 2. *Quæ mala* p. 379.

(*c*) Hæc acta judicialia Zevallius misit ad Fratrem suum Gusmanum, Senatus Hispalensis Præsidem, cum epistola die 26. Octobris 1759. V. Anecd. Ital. tom. I. pag. 110.

§. XIV.

Publicis testimoniis rite rogatis convicta calumnia Carvalhii de Paraquariæ Republica *Jesuitica*.

NEque vero hac una Zevallii legitima quæstione quàm imprudens fuisset in illo suo parvo volumine Carvalhius, qui violatæ obedientiæ, qui belli auctores mentiebatur Jesû Socios, constabat. Nam ille illarum Ecclesiarum maximus sive Præfectus, sive Parochus, (cui alii parerent e Jesû Societate Missionarii) quique paulo ante a Prætore Zevallio eam quæstionem postulasset, quam illi ipsi Missionarii ab Andromeguezio Præfecto obtinere ante petitam non potuissent; cum jam pro tribunali rem totam a Zevallio perfectam a duobus Interpretibus Hispanis audiret, altero Villanova Centurione, altero Casaencezio Regio Judice, eos ipsos a se impense rogatos eò perduxit, ut pro testimonio jurati confirmarent, quæcumque & Zevallius a Guaraniis jure quæsivisset, & Guaranii, recte, atque ordine rogati, respondissent.

Quod actorum exemplum, & jusjurandum ab illis datum 12. Martii 1757. (a) quám iniquo tule-

(a) Anecd. Ital. tom. I. pag. 199.

tulerit animo, ubi primùm datum intellexit, ille Valdelirii adulator Vianna, ex ejus impotenti iracundia patuit, qui is verbis Villanovam, ubi primùm aspexit, sit persecutus „ Dii te perdant, qui me isto tuo testimonio perditum iveris " (a). Nimirum Vianna, Valdelirius, Gomesius, alii non pauci, calumniæ totius conscii, cum de rebus Guaranianis in Europam scripsissent, ut Carvalhio lenocinarentur, invidiam malé rei a se gestæ in Jesû Socios per summam injuriam, atque impudentiam averterant.

Hic jam ipse vereri rursus incipio, ne tu, mi optime Bolane, tacitus suspicere, me ad arbitrium meum historiam, instar fabulæ compositam, tibi narrare instituisse. Nolo te mihi, ne jurato quidem, fidem habere, nisi certissima tibi indicavero monumenta, quæ rem totam ita, ut a me refertur, actam fuisse confirment.

Leges, si tanti tibi res tota fuerit, Anecdota italicé scripta Sebastiani Josephi Carvalhii anno 1787. in lucem Venetiis edita tomo primo pag. 109., in quibus & testes, & plurimos, & omnes fide quam maxime dignos invenies, qui infinita alia de mendaciis; de calumniis, de injuriis, de flagitiis, de sceleribus Carvalhii testificantur.

Ad legitima nunc redeo testimonia, quibus

(a) Ibid. pag. 110.

constet, totum illud Carvalhii parvum *Brevis Relationis* Reipublicæ Jesuitarum volumen ex dolo, ex perjurio, ex perfrictæ frontis impudentia constare. Præter enim testimonia, quæ paulo ante dicebamus, extant legitimæ tabulæ, quæ actis Zevallii omnino concinunt.

In singulis vicis rogati ab Apostolico quodam Notario, sive publico Tabellione *Cazichi* (sic Demarchos suos Guaranii vocant), jurati hæc duo (*a*) dicebant: alterum; se non modo de Jesû Sociorum sententia non cœpisse arma; sed contra eorum auctoritatem, contra consilium, contra edictum adversatos regio imperio fuisse; multa in eos Patres & inclementer dixisse, & audacter suscepisse, & atrociter fecisse.

Alterum; Guarianos a Lusitanis captos per vim, per fraudem, per terrorem suppliciorum coactos fuisse falsissimum in suos Parrochos, quos seditionis, ac belli auctores fecissent, dicere testimonium. (*b*)

Actis Zevallii concinunt legitimæ tabulæ a Joanne Ignatio Vicario Generali Urbis S. Fidei, Veræ Crucis *ex officio* in Paraquaria scriptæ, Matritum missæ, & ab Aula Regia in lucem editæ. (*c*)

§. XV.

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 103. & seq.
(b) Ibid. pag. 92., & pag. 104.
(c) Brev. Histor. Expuls. Jes. pag. 52.

§. XV.

Carolus III. *Edicto suo* & rescidit fœdus de commutandis Colonis in Paraquaria, & nullam fuisse Rempublicam Jesuiticam *agnovit*.

SEd quid ego testibus Americanis in hac causa tandiu utor? Cur non potius una illa me plaga expedio, qua recens ab Italia Carolus III. Hispanici Regni Successor, illud parvum volumen, libellos illos famosos, illum Carvalhium calumniæ totius auctorem conficiebat?

Et decipere quidem Ferdinandum VI. Valdelirius potuerat, cui per Reginam Mariam Barbaram Lusitanam ex usu rei Hispanicæ fore eam in Paraquaria Oppidorum commutationem persuaderet. Carolum vero III., jam ab initio pactis illis mense Februario 1750. clanculum conventis Infensissimum, cum potissimúm ipse in litteris Zevallii (v. §. 14.) rem totam causamque per adulatores Carvalhii exulceratam apertissimé cognovisset, Carvalhius nullis artificiis decipere potuit.

Quo factum est, ut Carolus die 19. Februarii 1760. Edicto suo (*a*) pacta illa conventa de permutandis in Paraquaria Oppidis resciderit, quæ

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 111.

ante decimum annum inter Ferdinandum VI., & Josephum I. contracta fuissent.

Quæ cum omnia hodie certissimis sint monumentis testata, quis non aperté videat totum illud Benedicti XIV. Edictum censorium; illud, inquam, Breve totum, Saldanhæ missum, de disciplina Lusitanæ Jesû Societatis examinanda in una calumnia Carvalhiana incubuisse?

Quis non execranda illius Simonis Lusitani fraudes, in parvo volumine confictas, in *Republica Jesuitarum*, in tot aliis libellis disseminatas intelligat? Quis non Vicem florentis olim sub cultura Jesuitica, nunc scelere Carvalhiano oppressæ apud Paraquarios Populos Ecclesiæ deploret? quis demum Jesû Societatem tot fraudibus, tot flagitiis, tot perjuriis, tot maledictis per Carvalhium primo apud omnes vexatam ad extremum internecino Sejani odio Lusitani penitus addictam, ac proditam lamentetur?

Nam si veré de insectatione Jesû Societatis, veré de ejus pernicie, deque abolitione tota verè sentire velimus, nobis profecto licebit, illud a lactantio (a) usurpatum de crudelissimo Maximiano in crudeliorem Carnificem Carvalhium convertere, cum parvum volumen a se confictum Benedicto XIV. non ad corrigendam, sed extir-

(a) De mortibus Persecut. Cap. 12.

extirpandam Jesû Societatem objiciebat. Ille dies primus lethi, primusque malorum causa fuit.

§. XVI.

Fraus de Maranonia Republica.

MOdo pauca de Republica Jesuitarum in Marinonia, inani quædam loquacitate in illo parvo volumine descripta loquar; sed quæ Carvalhianam malitiam, mentiendique impudentiam satis declarent. Ille germano fratri suo, Francisco *Furtado* de *Mendoza*, quem ad illius ditionis perniciem Marinoniæ perfecerat anno 1751. (*a*), in mandatis dedit, ut eos Jesuitarum pagos pauperes, & obscuros, quasi totidem nobiles Urbes pulchrasque graphicé in chartis pingendos curaret (*b*), atque ita pictos Ulyssiponem ad se mitteret.

Quid his fallacibus picturis moliebatur? earum occasione & multa, & quidem gravissima in Societatem crimina effutiit; cum ea omnia alto premeret silentio, quæ sine gravi nominis sui dedecore, fratrisque infamia commemorari non possent. Nam ille ad perniciem Societatis hujus-

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 25.
(*b*) Animad. 1. ad Vitam P. Correæ pag. 183.

hujusmodi picturis Regi suo imponebat, Universæque Europæ imponere nitebatur. His enim Jesuitarum pacis in chartaceas, nobilesque Urbes, non Circæo poculo, sed veneno atramenti Carvalhiani repente conversis, Jesuitarum Rempublicam in Marinonia fundatam confirmabat, quæ & pedites, & equites Indos haberet, quamque armis, & tormentis bellicis satis instructam, confœderatam Reipublicæ Paraquariæ faciebat.

Quo factum est, ut mirabili sane credulitate, & posteritati nostræ incredibili, adeo tamen vera, ut humanam mentem tanti stuporis merito pudere debeat, apud plurimos, non simplicium, & imperitorum modo, sed & doctorum virorum historiæ lux obscurata fuerit, ac prope extincta: quamquam risu ii omnes corruerent: qui & in Brasilia, & in Marinonia ignobiles illos, ac rusticos pagos videbant.

Interea partim pagorum Incolæ ad flumen *Nigrum* a Mendoza Præfecto, ad indignam, injustamque servitutem rediguntur, partim ad conspectum militum Lusitanorum, Laribus suis relictis, ad antiquas silvas remigrant. Lusitani item milites ad mille ducentos in paraensi Provincia ab Impératore (*a*) Mendoza pessimé habiti a die 28. Septembris 1754., & ab eodem men-

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 127.

mense Januario 1757. destituti, sine stipendiis, sine commeatu, tumultuantur: Duce Emanuele Correa Cardoso ærarium militare, & annonæ horrea perfringunt; ubi cum nihil invenissent, (pecuniam enim sibi præripuerat Mendoza) magno incensi furore Pagorum domos diripiunt, Missiones Garii vastant, & incendunt, tum ad Hispanos transeunt.

Quo verò dibapho has strumas, intolerabilem exhalantes odorem, tegunt Carvalhiani fratres? nimirum perridicula Maranonianæ Jesuitarum Reipublicæ fabula ex eorum cerebro prognata. Fingunt enim, Jesuitas auctores fuisse, ut & Indi remigrarent ad silvas, & Lusitani homines militiam subterfugerent; quasi Indis duris, incultis, horridis, perinde, ac artium elementa, sic ignota etiam esset illa naturæ Lex, qua cujusque incolumitati cavetur, quamque vel Christus Dominus ipse nos monitos illis verbis voluit Matth. 10. 3.: *Cum persequentur* vos in Civitate ista, fugite *in aliam*; & qui *in Judæa* sunt, fugiant ad montes: Aut quasi non illud omnibus pateret, quod inquit Divus Paulus 1. Cor. 9. 7.: *Quis militat suis stipendiis unquam*? Aut quasi Jesuitarum Pagus proximior a Castris militum centum leucis non distaret.

Jam cum nemo Jesuitarum hos Lusitanos milites, castraque unquam vidisset qui, quæso, fa-

ctum

ctum fuerit, ut eos ad hæc perpetranda facinora impellerent Jesuitæ? Quomodo litteras convocatis militibus publicé recitarent? O ingeniosos; & præclaros Regis Fidelissimi administros Carvalhianos! Tantarum enim rerum gestarum gloria uni Carvalhii cerebro male sano, uni Mendozæ crudelitati tribuenda est. Neque id gratis; ambo enim evertendæ Jesuitarum Reipublicæ occasione septies, aut octies aureorum centena millia ab ærario Lusitano extraxerunt, maximo sane Indorum, jam Ecclesiæ filiorum, & Regis Fidelissimi Subditorum detrimento.

Sed ad eam Marinoniæ Rempublicam, *quam ad universum terrarum Orbis imperium sibi comparandum Lusitani instituerunt Jesuitæ*, revertamur. Ita ne vero? Ad universum, ais: Carvalhii, terrarum Orbis imperium comparandum? Ne tu semper portenta loqueris. Dic, quæso, qua ope? Hi enim Indorum Pagi pauperrimi sunt: nullæ in illis aurifodinæ, milites nulli, arma nulla.

At enim, ais, inventa sunt in Pago prope Trocanam duo tormenta bellica: alterum duos pedes; alterum duos cum dimidio, longa. At pace dicam tua: Hæc duo tormenta bellica sine globis ferreis, a Præfecto Maja Pama, rogatu Joannis Sangajo Jesû Socii, anno 1722. pro securitate Pagi S. Antonii Patavini, prope Insulam Janarii primùm constituti, concessa, & vendita

fue-

fuerunt, quod Pagus oppositus, & objectus erat barbaro Populo Marasio, Ne hostibus incursibus Ditio Lusitana pateret, dico illa tormenta (a) satis non fuerunt: adeo vero nihil valuerunt ad frangendam Marasiorum audaciam, ut Missionarius Ekart anno 1755. ut Noephytos suos a Marasiis hostibus liberaret, coactus aliò fuerit Pagum illum, a finibus Insulæ Jamariæ, per quadraginta leucas peregrinantem, prope Trocanam transferre. Et satis hæc duo valuisse tormenta bellica ad muniendam, servandamque, quam tantopere extollis, & ubi ubi jactas, impotenterque obtrudis Jesuitarum Rempublicam, dicenda erunt?

At enim, inquies, fœdere, quod anno 1755. opera initum est Jesû Socii Davidis Fay inter amanajozios, & Goajaianos, Respublica staret Jesuitarum. Valde tu quidem in eo (b) & fallis, & falleris: hujus enim fœderis pacta conventa aliud nihil continent, nisi ut Amanajozii, relictis silvis, barbaraque vivendi ratione, Christi Legibus subdantur, civilemque æque atque Goajaiani, sub potentissimo, humanissimoque Lusitaniæ Rege vitam ducant, ut sese invicem sacro ejusdem Religionis amore, earumdemque legum

(a) Ibid. pag. 120.
(b) Ibid. pag. 124.

humanarum præsidio, ac vinculo foveant, & utiliter diligant.

Quæro nunc: Ubi hic Respublica 40. leucarum, ubi milites, ubi arma, ubi seditiones, ubi, ut cætera missa faciam, rebelliones? quæro iterum: utra in Republica Jesuitarum fabulosior in hoc parvo volumine Carvalhius sit? In Marinoniana ne, an in Paraquariana? et Roma vi hujus parvi voluminis Decretum Visitationis Societatis edidit?

§. XVII.

Carvalhius per summam malitiam in Brevi Benedictino duo Rescripta Pontificia commemoranda curabat.

Equidem jam nunc ab istis artificiis Carvalhianis, quibus & ætatis, & valetudinis vitio deceptus fuisset Benedictus, libens, ac volens abirem; nisi & patentiora, & graviora argumenta illius impudentissimæ totius calumniæ, quam esset vel ipse per se Carvalhius, vel per conscios fraudis, vel per occultæ coitionis in Jesù Societatem Interpretes, & Sequestres Romæ machinatus in aliis Rescripti Benedicti capitibus eminerent. Quod totum quale sit, paucis ut intelligas, mi Bolane, fac mecum, ad verba Benedicti animum intendas. „Aucto-

„ Auctoritate nostra (scribebat ad Saldanhiam Romanus Pontifex) semel visites, & reformes, & in earumdem personarum (scilicet omnium Jesû Sociorum in imperio Lusitaniæ) statum, vitam, mores, ritus, disciplinam, aliamque vivendi rationem, tam conjunctim, quam divisim, inquiras. " Recte istud quidem Benedictus si quando Carvalhius corruptam Societatis disciplinam, non ex parvo, & pravo, & cavillatorio volumine esset calumniatus, sed ex vero, & æquo exposuisset.

Illud, quod jam ex eodem Brevi excerpam; partim de consilio quidem Romani Pontificis ad moderandam Saldanhiæ censuram sapienter adjectum, partim vero de præmeditata Carvalhii malitia, deque Carvalhianorum Romæ Ministrorum composita, parataque calumnia fraudulentissimé fuerat additum. Alterum enim prudenter Pontifex præmonebat, ut cum ex doctrina, & evangelica, & apostolica, & canonica, tum ex Decretis Conciliorum, ex traditionibus Patrum, ex ipso Societatis Instituto cognitionem totius causæ novus Quæsitor Saldanha moderaretur, nec enim non vereri Romanus Pontifex poterat, ne ambitioni indulgens Visitator tempori, & scenæ, ut dicitur, serviendum putaret, unamque Carvalhii cupiditatem sibi dictam in censura legem haberet.

Alterum vero illud in brevi hac formula con-

 ceptum:

ceptum : „ Apostolicis Constitutionibus, praesertim fel: rec: Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri, die 22. Februarii 1633. incip. *Ex debito Pastoralis Officii*, & a Nobis per quasdam nostras, in simili forma Brevis die 20. Decembris 1741. expeditas Litteras, quarum initium est: *Immensa Pastorum Principis*, editis inhærendo. "
Hoc, inquam, alterum de Litteris Urbani VIII., de Litteris Benedicti ipsius, ex quibus jus Saldanha Censor in causa Lusitanæ Jesû Societatis dicere deberet, cum ipsum per se esset æquissimum; totum tamen pro re, pro loco, pro tempore erat ex malitia, ex dolo, ex fide mala, ex calumnia Carvalhiana inculcatum. Quid ita vero? Scilicet quo facilius imperiti ea ipsa crimina in Jesû Societate suspecta haberent, quæ illius ipsius Societatis opera, & studio Pontifices cùm in aliis Lusitanis, tum vero in Carvalhio potissimum, coercenda censuissent.

§. XVIII.

§. XVIII.

Breve Urbani VIII. a Jesû Sociis pro libertate Americanorum contra Lusitanos *impetratum*. (*a*)

PRimúm enim ne tu quidem, mi Bolane, qui non ita solitus esses in rebus Americanis antea versari, non interdum fando audieris, Litteras Urbani VIII. paulo ante indicatas, eo totas pertinuisse, ut ne libertas in Brasilia iis Indigenis Americanis, qui sacra susciperent Christiana, vi, & oppressione Lusitanorum eriperetur. Non pluribus hoc loco persequor, quam sæpe, quam inhumané, quam impié in Brasilia Europæi homines, maximé vero Brasiliani Lusitanienses, plagium exercuerint. Nec enim ego invidiæ, qua apud istos hodiernos Philosophos, humanitatis an veros, an simulatos Patronos, naturæ certe quidem Alumnos, brutæque telluris filios, Americanorum Urbium incolæ Europæi flagrant, novas faces subjiciam. Illud dicam: Urbani VIII. Litteras 1633. datas, quibus Saldanha Visitator Societatis Lusitanæ censuram accomodare suam juberetur, in plagiarios Europæos, in eos Patresfamilias, in eos negotiatores verbo Albos, reve-

(*a*) v. Animadv. I. ad vitam P. Correæ pag. 169.

revera Nigerrimos, qui Indigenas Brasiliæ liberos in servitutem redigerent, fuisse scriptas.

Quid ergo Carvalhius, vel Carvalhianæ coitionis Socii sibi volebant, cum earum Litterarum Urbanarum, in reformanda Jesû Societatis disciplina, mentionem faciendam procurabant? Quid volebant? Nihil aliud malitiosé moliebantur, nisi ut, Vindices Americanæ libertatis, Jesû Socios suspectos ejus plagii facerent, quod diligentia, quod cura, quod studio, quod contentione sua, quod denique Europæorum Dominorum simultate, atque odio ipsi illi Jesû Socii impedivissent. Cum enim viderent illi calumniæ Artifices nihil odiosius, nihil bonorum judicio detestabilius, nihil Romæ, nihil in Europa tota futurum fœdius, famosius, tetrius, quam si per ora omnium Jesuitæ pro plagiariis, pro oppressoribus Americanæ libertatis (vid. adnot. 3. pag. 385.) si res ipsa posceret, traducerentur; clanculum eam suspicionem, commemorandis Urbani Litteris, per Breve Benedicti disseminandam sibi arbitrabantur. Sunt enim non pauci, etiam hodie, Gracchi, qui de seditione querantur.

§. XIX.

§. XIX.

Breve Benedicti XIV., *Immensa Pastorum Principis*, a Jesû Sociis pro Americanis obtentum, a Carvalhio turpiter *violatum*.

QUamquam illa Urbani Rescripti commemoratio, in Brevi Censorio per Carvalhianos Interpretes inculcata, ut maximæ esset calumniæ affinis; erat tamen utcumque malitiæ Carvalhii condonanda, qui Jesû Socios in suspicionem plagii antiquioris vellet adducere. Illa verò indicatio illius Rescripti Benedictini, cujus esset initium, *Immensa Pastorum Principis*, una cum omni dolo, fraude, astutia, iniquitate, injuria conjuncta, impudentiam Carvalhii projectam, summum Tyranni dedecus, opprobriumque significabat.

Si enim nescis, mi optime Bolane, illud *Immensa Pastorum Principis* Rescriptum (*a*) Jesû Socii Hispani a Benedicto, ut ederetur, summo studio contenderant. Si præterea scire hoc alterum quæris, quis illud adversus Lusitanos plagiarios Rescriptum Benedicti XIV. publicavisset. Si hoc, inquam, audire cupis; Ille idem Carvalhius, speciosus, si superis placet, Christianæ Ame-

(*a*) v. Animadv. I. ad vitam P. Correæ pag. 174.

Americanorum libertatis vindex, fucatus plagiorum Jesuitarum ultor, septem annos totos, & Rescriptum Benedicti de libertate Americanorum ineditum suppressit, & per eos annos septem, suis ipse Lusitanis maximo pretio a se prius venditos Americanos non reddito (*a*) Emptoribus pristinis ære, liberos esse jussit.

Hic quis non exclamet, Superi! monstrum Tyranni ultra Garamantas, & Indos in solas terras deportandum? Quamquam jam mihi videor consilium Ministri Lusitani debere excusare. Quid enim alius faceret Carvalhius, plagii ipse manifestus, nisi quod impudicæ furtim Matronæ, & in sacris (Gen. 39.), & in politicis monumentis fecisse legantur, quæ cum ipsæ ad flagitium Adolescentes castissimos frustra petivissent, ira, & indignatione repulsæ, se petitas ab iis mentiebantur. (*b*)



DE

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 39.
(*b*) Adnot. IV. pag. 338. Res tota.

DE PRIMO IN LUSITANOS JESU SOCIOS SALDANHÆ JUDICIO.

§. XX.

Visitator Saldanha contumaciter in *Romanum Pontificem* Censura sua *abutitur*.

NEque Lustrator novus Lusitanæ Jesû Societatis, Saldanha, non æque, atque ipse Carvalhius, flagitiosè in ea censura sese gerebat. Is, quasi cum Carvalhio ipso certare vellet, uter in Lusitanos Jesû Socios impotentius ageret, quæcumque in lustranda illa Jesû Societate peccari possent, ea omnia, dedita veluti opera, peccare velle videbatur. Cujus ego facinora, in ea re commissa, ad tria injuriæ genera revocanda mihi esse existimo.

Primum injuriæ genus in violata Romani Pontificis auctoritate constituto. Alterum ab innocentia Lusitanæ Jesû Societatis palam oppressa duco. Tertium a communi totius Juris formula susque deque habita repeto. Dico enim primum: Saldanham Censorem in Lustrandis Jesû Sociis insigni impudentia, ac contumacia Pontificiam Auctoritatem violasse, cujus præceptis stare, cujus monitis obtemperare omnino noluerit.

Ecce vero tibi, mi Bolane, ne me accusato-

rié potius, quam candidé loqui putes, verba ipsa, quibus Benedictus XIV. jus novo morum Magistro Saldanhæ dabat: „ Siqua autem graviora in hujusmodi Visitatione repereris, ea omnia sub tuo sigillo clausa ad Nos quamprimum diligenter transmittas, ac Nobis referas, ac patefacias, quæcumque ad hanc causam pertinere arbitraberis; Ex re enim, & tempore consilium capiemus, & effusis lacrymis Omnipotentem Deum clamore valido orabimus, ut, quod inde statuendum sit, matura deliberatione decernamus. ".

Quæro nunc ex te, mi Bolane; Si Benedictus XIV. omne jus sibi sententiæ dicendæ in ea causa retinere; si jurisdictionem in rebus gravioribus, si quæ forte reperientur, sibi omnem reservare; Si Saldanhæ potestatem omnem definiendæ causæ negare; si eidem simplicem, ac nudam facultatem inquirendi in Jesu Lusitanam Societatem permittere voluisset, quibus verbis aut magis apertis, aut magis definitis, aut magis appositis uti potuisset, quam quibus in creando Visitatore Saldanha usus fuit? Et tamen, ne quid sibi Saldanha vel sponte ipse sua, vel jussu Carvalhii coactus, amplioris facultatis temere arrogaret; arcanum ad eumdem commentarium, arcana, & *secretiora mandata* scripsit (*a*), in

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. p. 166.; & Comp. hist. p. 68.

in quibus hæc illi ad summam edicebat: Primum, ut summam & prudentiam, & benignitatem in eo negotio adhiberet. Secundum, ut & ipse, & si quos sibi Ministros probitate, doctrinaque præstantes adjungeret, summo silentio in causa versarentur. Tertium, ut delata ad se crimina in Jesû Socios diligenter excutienda curaret. Quartum, ut nihil unquam ipse per se contra Jesuitas decideret, nihil definiret, nihil constitueret. Quintum, ut Quæstionis, seu Visitationis confecta a se Acta Romam mitteret, de quibus Pontifex ipse sibi, & Sedi Apostolicæ judicium, & consentaneam agendorum, consequentemque rationem omnem reservabat. (a)

§. XXI.

Quo pacto Censuram Visitator Saldanha ad arbitrium Carvalhii *gesserit*.

BEne quidem habet: suis quibusdam cancellis circumscriptum jus, certis finibus conclusam censuram Censor Saldanha a Benedicto Pontifice accepit. Audi nunc jam, mi Bolane, quid ille venditus, & adictus, & obstrictus Carvalhio

(a) Anecd. Ital. tom. I. pag. 166., Brev. hist. p. 67. ; & in vita Carvalh. edit. 4. tom. I. p. 121.

Censor ex Carvalhii odio in Jesû Socios, ex ejusdem impotenti tyrannide patraverit.

Litteræ moribundi Pontificis erant Kalendis Aprilis 1758. Romæ datæ. Rumor assiduus sine certo auctore, aut potius tacito auctore Carvalhio, in Lusitania de Censore Jesuitis imponendo percrebrescere: Eam alii fabulam dicere Carvalhianam, qui integerrimam Jesû Societatis disciplinam negarent judicio Romani Pontificis ejusmodi censuræ permittendam, quam notus ejus hostis Carvalhius posset impune ad arbitrium suum exulceratam corrumpere. Alii contra, Carvalhii inflammatam odio audaciam eò progressuram non dubitare, ut per speciem censuræ, malis artibus, e blanditis suffragiis auro cruciato emptæ, aut armatis precibus extortæ, pro simulata correctione perniciem Jesû Societati moliretur.

Ecce tibi sexto Nonas Majas, (a) trigesimo primo die a datis Romæ Litteris censoriis, eo ipso, quo Romæ mortem obierat Benedictus, ut deinde est curiosius notatum, prima noctis hora Saldanha per Vicarium, sive Subscriptorem sibi delectum, Emmanuelem Barberinum, (b) nescio quem Regium Senatorem, in Domo Pro-

fessa

(a) Compend. hist. expuls. Jes. p. 72.
(b) Anecd. Ital. tom. I. p. 160.

fessa Ulyssipone edicit Jesû Sociis: sese a Benedicto XIV. nominatum esse Lusitanæ Jesû Societatis Visitatorem. Jesû Socii, contra quam Carvalhius, in omnes criminationis occasiones intentus sibi fuerat pollicitus, nihil omnino recusare, auctoritatem Saldanhæ datam sine exceptione agnoscere, ne authographum quidem ipsum Breve Benedicti requirere, comiter, atque officiosè abeuntem domo Barberinum de more ad januam prosequi. (*a*)

At Eminentissimus ille Visitator, (*b*) die 30. Maii suam per se ipse auspicaturus censuram, cum sese in Domum Professam contulisset, ibi omnes Jesû Socios coram convocatos bono esse animo jubere, nihil tristius a Lustratore amico timere, sibi Censore, non iis Patribus religiosissimis, opus esse dicere, vultu, verbis benevolentiam simulare. Quid multis opus est? Cum nullam quæstionem interea de Jesû Sociis, nullam rei totius cognitionem novus Judex haberet, nullam causæ dictionem illis daret, die 4. Julii Edictum Saldanha Provinciali Præfecto, Joanni Enriquezio, tradendum curabat, quo tamquam Negotiatores profanos omnes Lusitanæ Assistentiæ Jesû Socios fecisse adversus Leges Canonicas,

(*a*) Anecd. tom. I. pag. 161.
(*b*) Brev. hist. p. 74. & Anecd. Ital. tom. I. p. 167.

cas, pronuntiabat. Quod quidem Edictum ab ipso Visitatore jam a die 15. Maii (*a*) subscriptum apparebat. Nimirum hoc illud erat: Vix Benedictinum Breve in manus Visitatoris Roma pervenerat, cum extemplo Carvalhius Edictum dudum a se paratum, atque extempore typis Michaelis Rodriquezii excusum, Saldanhæ non examinandum, sed subscribendum, pro imperio dederat.

At ille bonus Provinciæ Lusitanæ Moderator Enriquezius tam insolita, tam præpostera, tam iniqua, tam vendita palam Edicti Sententia commotus, conventum a se Censorem supplex rogabat, ut, quam ante Sententiam non dedisset, eam tunc saltem causæ dictionem Jesû Sociis Lusitanis, ex jure naturæ debitam, dare ne gravaretur. Saldanha ipse, sibi infamis præjudicii conscius, non sine pudoris aliqua significatione, cum se illi morem in ea re gesturum simularet, ab eo confectas tabulas bonorum omnium, omnia instrumenta, Templorum omnem sacram supellectilem descriptam postulabat. Res eo tota spectabat, ut Carvalhius, cum in possessionem omnium illorum misisset, singulis Jesû Sociis pro diario duodenos obolos (*b*) de publico attribueret. Ille

---

(*a*) Animad. 4. ad vitam P. Corr. p. 238., & Comp. hist. p. 79.

(*b*) Iis vero, qui habitum dimitterent, *decem* si se angustia rei familiaris urgeri, perspicuum facerent. Comp. hist. p. 177.

Ille verò præposterus Censor, cum tabulas omnes dati, & accepti, cum omnia diaria, omnes rationum codices accepisset, mirari sese vehementissimé dicebat, qui fieri potuisset, ut tam amplam mercaturam, sine ullis tabulis, Jesû Socii in tam dissitis locis exercuissent: in quo satis sese Vicarium Carvalhii latorem Edicti sui ostendebat. Neque in altero Decreto, quod die 5. Octobris anni 1759. Saldanham scripserat, (*a*) non sese Carvalhianum plane Censorem exhibebat. In eo enim mentitus Pontificiam Auctoritatem, Litteras patentes, & dimissorias omnibus Jesû Sociis Lusitanis, non modo Scholaribus, & Laicis, sed etiam Professis (*b*) offerebat, quibus eos omnes, qui id peterent, votorum religione Auctoritate Pontificia solveret.

§. XXII.

Saldanha sibi non datam facultatem in omni Censura *arrogavit*.

MItto jam capitalia Saldanhæ in ea lustratione complura facta, quæ acerbé, quæ impoten-

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. p. 66.

(*b*) Eboræ Tyro unus, Rhetorici quatuor, Philos. undecim, Theol. unus, sex Fratres Adjutores dimissionem petierunt. Ibid. p. 98. Conimbri Professi duo, Didacus Vasconcellus, & Antonius Pimentes. Ibid. p. 103.

potenter, quæ nefarié, in omnia jura commiserat. Hoc unum dico: Illum in omni censura in Romanum Pontificem contumaciter peccasse. Quid enim? Benedictus XIV. illi diligentem causæ cognitionem commiserat; Saldanha sine ulla cognitione, non interrogatis testibus, non delationibus lente perpensis, non litteris, non tabulis excussis, non auditis Jesu Sociis, intra dies sexdecim causam totam jam cognovisse se mentiebatur. Benedictus diserté præceperat, ut in rebus majoris momenti *nihil* Saldanha decideret; Saldanha Edicto palam proposito, typis edito, in vulgus disperso, Jesu Socios Provinciæ Lusitanæ reos profani commercii condemnabat. Benedictus acta omnia causæ rite confecta Romam mitti a Saldanha Visitatore præcipiebat; Saldanha nulla acta confecit, numquam ad Sanctam Sedem aliquid rejecit, omnia ex libidine Carvalhii perfecit. Nihil de libera Sociorum missione; nihil de Votorum Religiosorum solutione Benedictus Saldanhæ commiserat Saldanha, jussus ab uno Carvalhio, jus solvendæ vel solemnium Votorum Religionis sibi arrogaverat.

Hic nemo non videat violatam a Purpurato Visitatore Pontificiam Benedicti XIV. Majestatem: Nemo non fateatur vana fuisse Saldanhæ Edicta, irrita Censoris acta, nullam præcipitis, præposteri prævaricatoris Judicis sententiam; ut

nemo

nemo mirari debuerit, & Præfectum Lusitanæ Jesuitarum Provinciæ Enriquezium de tam abnormi Censoris Saldanhæ injuria litteras Romam ad Laurentium Riccium, summum totius Jesû Societatis Moderatorem, misisse; & Riccium per suplicem libellum rem totam Clementi XIII., Pontifici Maximo die Sexto Julii 1758. renunciato, detulisse, & Clementem summopere & rei totius atrocitate, & Saldanhæ contumaci prævaricatione, & impo tenti Carvalhii furore commotum, facta (a) omnia Visitatoris improbasse, litteras Philippo Acciajolio, Ulyssiponensi Nuntio suo, scripsisse, quibus illi diligenter præciperet, ut in Visitatoris acta omnia inquireret, neve eum extra eos terminos, quos haberet a Benedicto XIV. definitos in censura, liberé evagari, vel insolenter potius grassari pateretur.

Quo porro res tota evaserit, quam sese injurium Saldanha deinde ostenderit, quales sibi præter jus omne Episcopos censuræ suæ socios legaverit, quas ubique strages divini, humanique juris ediderit, nondum hoc loco commemoro. Hoc unum evicisse me, ne tu quidem negaveris, mi Bolane, quod ante confirmabam, Saldanham contumaciter, superbé, irreligiosé in censura sese gessisse; quam non haberet a Romano

(a) Anecd. Ital. tom. I. p. 191.

Pontifice, juris potestatem, eam sibi arrogasse; in Jesû Societatem sententiam omnino nullam pronuntiasse, vana, irrita, illegitima Edicta illius omnia fuisse.

§. XXIII.

Edictum Saldanhæ temere, & præpropere vulgatum ante causæ *cognitionem*

ETsi vero ex hoc uno Saldanhæ censuræ vitio, quo omnis illi, non legitimo judici, fides, omnis esset eidem, fines juris egresso, ne granda auctoritas, satis, superque pateat, nullam criminis suspicionem potuisse in Jesû Societatem corruptæ disciplinæ maculam Clementi XIII. persuaderi; tamen propius te, mi Bolane, in *innocentiam Lusitanæ Jesu Societatis*, per Saldanhæ prævaricationem plane, aperteque *oppressam*, tamquam in rem præsentem, vocabo.

Edictum, fac, quæso, Saldanhæ rursus tibi in memoriam revoces. Quid tandem nobis narrat abortivum illud Edictum, quod intra denos senos dies & conceperit, & in lucem non sine veneno Carvalhiano, Visitator projecerit? „ Jesuitas Lusitaniæ primum Provinciæ, idest Jesuitas, qui in continenti Lusitania, Jesuitas, qui in Insulis Tertiariis; qui in Insula Made-

„ ra,

„ ra; Jesuitas, qui Angolæ in Africa versentur;
„ eos ad unum omnes, in Domibus, Collegiis,
„ Tirociniis, Residentiis, & locis Provinciarum,
„ & Vice-Provinciarum Societatis, reos esse Mer-
„ caturæ, & Negotiationis, Ecclesiasticis Viris
„ per sacras Ecclesiæ Sanctiones vetitæ, certó,
„ ac evidenter Saldanhæ liquere. Id ipsum in
„ aliis locis Provinciarum, & Vice-Provinciarum
„ Societatis Jesû in Regnis, & Ditionibus Regis
„ Fidelissimi affirmat.

Quid aliud, quæso, est impudenter mentiri? quid aliud per evidentem calumniam Innocentiam opprimere, si hoc non est? Mitto breve dierum sexdecim spatium, per quod omnino Saldanha non potuerit, ne si Pegaso quidem alato ipse per aera volasset, tot loca obire, in quibus illa esset dispersa Jesû Societatis Assistentia. Mitto, Saldanham per illud temporis intervallum nihil, neque ipsum per se, neque per Subscriptores suos rite quæsivisse, nullam cognitionem legitime instituisse, nullas *tabulas*, si Superis placet, *mercuriales* evoluisse, nulla omnino acta ex formula juris naturalis perfecta scribere potuisse. Quin etiam ille nullos Provisitatores, ante diem secundam Maii delegaverat, quo die cognita morte Benedicti XIV., (a) jussu Carvalhii,

(a) Anecd. Ital. tom. I. p. 167.

lhii, duos sibi Censuræ suæ ministros sumebat; alterum ex Ordine Prædicatorum Michaelem Bogliensium, (a) Episcopum Bethlemi apud Paranienses, & Marinonios, acerrimum Sectæ Carvalhianæ propugnatorem; alterum Josephum Bothelium de Mathos, apud Bajenses in Brasilia S. Salvatoris Archiepiscopus. (b)

§. XIV.

In Domibus, Collegiis, Tirociniis, Residentiis Jesû Socii Lusitani in Edicto Saldanhæ inepté pro Mercatoribus *pronuntiati*.

EGo vero eas angustias temporis, quibus Visitator ab omni & cognitione, & quæstione, & actione legitima in censura excluderetur, amplius non urgeo. Ad manifestissimam falsitatem judicii ab illo pronuntiati venio. In Domibus Collegiis, Tirociniis, Residentiis Jesû Socios primúm in Lusitana Provincia (& in aliis Provinciis, & Vice-Provinciis Assistentiæ) profanos esse negotiatores, cum liquere sibi certo, & evidenter pronunciabat Saldanha, Romano, opinor, more locutus: vel omnes omnino, vel plerosque

(a) Comp. hist. p. 89. & Anecd. Ital. tom. II. p. 122.
(b) Anecd. Ital. tom. I. pag. 171., & tom. II. pag. 145.

rosque omnes in omnibus Domibus illiusmodi in ea Edicti formula includebat. Nec enim Censori severo, Patri Purpurato, Jesuitarum Magistro, liceat superlatione ulla in Judicio uti.

Age vero in iis quadraginta quatuor domiciliis (totidem enim in Provincia Lusitana Jesû Societas habebat, in quibus domiciliis ad octingenta sexaginta Socios numerabat) quis, nisi furore Carvalhiano mentis suæ impos, sibi persuadeat, omnes omnino, aut plerosque omnes Jesuitas operam mercaturæ in omnibus Domibus assistentiæ, in omnibus Provinciis, operam dedisse negotiationi profanæ?

Hoc ego loco haud scio satis, mi Bolane; utrum serio cum Censore Saldanha, an jocosé, ac ridiculé tecum agam homine amico. Sic, opinor, sit satius: tibi per ludum, & jocum verum dicam: ridiculum acri sæpius præstat. In iis Jesû Sociis erant *sexaginta Novitii*. Videres illos operas telonio dare: Non animum domesticis inclusos parietibus exercitatione virtutum Christianarum excolere non Pytagorico silentii genere moderatè loqui discere.

In iis Jesû Sociis facile *centum, & sexaginta Scholares*, idest Jesu Socii juniores, in studiis & eloquentiæ, & Philosophiæ, & Theologiæ continebantur. Hos enim vero tabulis accepti, & expensi dies, noctesque affixos, summas quadrare,

re, summas partiri, syngraphas manu, & sigillo mercuriali consignare, quis demum erat in tanta frequentia Condiscipulorum externorum, qui non vehementissimé miraretur? Quod enim olim Horatius scribebat de Romanis, hoc totum in Jesu Sociis juniorjbus fieri videbant:

„ Romani pueri longis rationibus assem
„ Discunt in partes centum diducere: dicat
„ Filius Albini; si de quicunce remota est
„ Uncia quid superat? Poteras dixisse triens. En
„ Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
„ Semis . . . .

Ecce tibi totam juniorum Jesû Sociorum Scholarium doctrinam.

In iis Jesû Sociis facile *octoginta Doctores*, qui partim florentissimos ætatis annos in ludis humanitatis contererent, partim in gravioribus disciplinis tradendis sudarent, partim Bibliothecis abditi chartis impallescerent. Omnes ii omnino, Mercuriales a Saldanha facto viri, non rectè rem, sed quomodocumque rem facere, ab omnibus conspiciebantur. Nostin? Et., quod omnes mirentur in iis doctissimorum laborum sæpe numero scriptoribus non valebat illud ejusdem Horatii =

„ Hæc animos ærugo, & cura peculi
„ Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
„ Posse, linenda cedro, & leni servanda cupresso?

Nam

Nam eos cedro digna scribere didicisse, in exilio (*a*) postea satis superque ostenderunt.

Jam quis illud non Saldanhæ de plano concedat, eos in illa Provincia ad *centum* Jesu Socios meros fuisse, ac germanos Negotiatores, qui in Templis sacras ad Populum Litteras interpretabantur: qui de corrigendis moribus e loco superiori disserebant: qui per ferias Quadragesimæ de more *concionabantur*: qui in Sodalitiis Beatæ Virgini dicatis: qui in ipsis viis publicis homines ad studia virtutum hortabantur: qui per Vicos, & Castella *Missionarii* excurrebant: qui pias *Commentationes* recte agendas multis de more, institutoque patrio, idest ad mentem Sanctissimi eorum Parentis Ignatii, proponebant: qui in nosocomiis ægrotis ministrabant: qui in Templis *confessiones* excipiebant: qui animam agentibus salutis æternæ *monitores* aderant: qui *catacheses* pueris tradebant. Extra iocum tamen: boni hi negotiatores. His omnibus, (si quærimus verum) sic erat a Deo præceptum. (Lucæ 19. v. 13.) *Negotiamini, dum venio*, ut accepta divinitus & ingenii, & virtutis christianæ talenta, duplicata, aut certè non sine aliquo fœnore, Domino reddere conarentur.

Quid vero dicemus, mi Bolane, de iis Lusitanis

(*a*) V. pag. 210. ad vitam P. Correæ.

tanis Jesû Sociis *centum*, & *quinquaginta*; partim ingravescente ætate *senioribus*, partim gravi *valetudine affectis*? Etiam ne illos negotia egisse profana in cubiculis abditos, lecto ferme affixos, crimine interdictæ mercaturæ convictos a Saldanha opinabimur? Nam de *Laicis Adjutoribus* amplius *centum*, domesticis ministeriis, servilique operæ adictis, quorum non pauci ne primoribus quidem labris litteras attigerunt, nemo non assentiatur Censori Saldanhæ, eos omnes primas mercaturæ partes in illa Jesû Societate exercuisse; & digitis usos suis, stantes pede in uno, dicto citius perplexas etiam, involutasque subduxisse rationes, & nomina nullo negotio expediisse.

§. XXV.

Domestici Procuratores iniquè a Saldanha habiti pro negotiatoribus *profanis*.

VIdeo jam, quos paulo ante laudabam, optimos Negotiatores, non omnes mercuriales judicio tuo contra judicium Purpurati Censoris esse existimandos. Bene quidem habet. Qui ergo reliqui erant pauci illi in Provincia negotiatores, qui negotiorum amplitudine, ac copia ita Censoris acerrimi aciem perstringerent, ut eorum

rum paucorum causa omnes Lusitanæ Provinciæ Socios *certo*, *&* *evidenter negotiationis profanæ* sibi compertos Reos edicto pronunciaret? Procuratores, inquis, & Domorum; & Provinciarum, quos in assistentia, sive ditione Lusitana Jesû Societas haberet, per quos reliqui omnes Jesuitæ operam darent negotiationi, ecclesiasticis legibus prohibitæ.

Video te, Bolane, quasi Aliptam bonum, colorem speciosum Censuræ Saldanhianæ, per se effronti, atque impudenti, velle aliquem quidem illinire; sed frustra tamen in eo oleum, & operam totam perdere. Erant in ea Provincia domestici *Procuratores quadraginta*. Hi rem familiarem curabant: Hi fructus prædiorum exigebant: Hi necessaria alimenta, suo quisque domicilio, eorum fructuum vel usu, vel commutatione, vel venditione, vel emptione comparabant: Hi bona a Regibus, a Civibus copiosis Societati Lusitanæ ad victum quotidianum, ad Templorum cultum attributa, legata, donata jure optimo administrabant.

Quid tum postea? aliis Religiosis Ordinibus licebit res suas sine crimine negotiationis curare; Procuratoribus Lusitanæ Jesû Societatis non licebit? Cur jus tam iniquum in hos constituitur? Quis unquam in Ecclesia catholica tam iniquus Censor fuit, ut, si quis Ordo Religiosus,

si quis Ecclesiasticus Beneficiarius fructus prædiorum suorum vendat; continuó eum tamquam Reum vetitæ negotiationis, condemnet? An non potius impié dicendus sit ille sentire, si quis possidendorum bonorum, si quis jure possessorum administrationem Ecclesiasticis personis, religiosis familiis lege vel divina, vel canonica neget?

§. XXVI.

Lusitani Jesu Socii Procuratores trans marinarum Provinciarum, Auctoritate Regia constituti, iniquissimè a Saldanha *notati*.

ERgo ne isti quidem domestici Procuratores quadrageni sunt in numero Negotiatorum habendi. Reliqui nobis sunt, quos in quæstionem, ac in judicium vocemus, Provinciarum Procuratores admodum pauci, quos Lusitana Jesû Societas Ulyssipone habebat. Hos, dicis, hos ipsos *sex*, *septemve* Procuratores Provinciæ Lusitanæ, Goanæ, Malabricæ, Sinenses, Japoniæ, Brasilianæ, Maranoniæ tales, tantos, tam amplos, tam fuisse copiosos, Censore Saldanha, Negotiatores, ut omnes alios Lusitanæ Assistentiæ, mille septingentos sexaginta Jesû Socios, cupiditatibus suis infecerint, atque, ex hominis

Edi-

Edicto 1758., improbos, profanos, sceleratos fecerint negotiatores.

Nihil jam ego miror, mi Bolane, qui in arcem ipsam totius calumniæ, (Saldanhianæ dicam, an Carvalhianæ) confugeris, tam confidenter adversus illos Jesû Socios hoc loco te declamare: & tamen mihi de te, quæ tua est æquitas animi, & judicii integritas, facile polliceor, fore, ut quos tu improbos, quos profanos Negotiatores dicebas, eosdem paulo post *Ministros Ecclesiæ* remotarum Gentium, Patronos humanissimos Neophitorum, & tutores, & vindices, & Patres sanctissimos appelles. Audi jam. Erant illi quidem Ulyssipone in Hospitio Divi Francisci Borgiæ sex, opinor, Missionarii, qui ab illis Provinciis, quas paulo ante memorabamus, eò fuerant de more antiquissimo missi, ut in unis (*a*) hisce horreis, atque apothecis, ad Tagi ripam voluntate Regum Fidelissimorum constructis, eos & fructus, & proventus servarent, venderent, procurarent, quos in Lusitaniam idcirco Neophyti ab illis remotissimis, ac pauperrimis Provinciis destinassent, ut ex eorum pretio ea omnia sibi compararentur, quibus usus vitæ, quibus cultus Religionis, quibus Templo-

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. p. 170. & 269. Animad. I. ad vitam P. Correæ pag. 175.

rum, ac Sacrorum splendor apud eos indigerent.

Si enim nescis, ille Societatis Jesû Lusitanæ Provinciæ, ad Solem, & Orientem, & Occidentem positæ, infinitis laboribus, plurimo sudore, multo etiam sanguine per bina sæcula illud potissimùm egerant, ut earum Missionarii Sacerdotes ex vastissimis plagis, & densissimis silvis, ex ardentissimis arenis rusticos, agrestes, barbaros, ethnicos populos ad humanioris vitæ societatem, ad christiani dogmatis professionem, ad sanctissimam morum disciplinam, ad ditionem plerumque Lusitanam congregarent. Hinc illis illæ lacrymæ. Quo enim successu ex iis Regionibus, & Asiaticis, & Africanis, & Americanis, maturis illis quidem ad messem, inopia tamen Operariorum sæpe desertis, Evangelici illi e Societate Jesû cultores fructus in horrea Domini congesserint, cum possem tibi longissima oratione ostendere; hoc uno argumento defungar, cum brevi dixero: In una Marinonia jam inde ab anno 1664. Pagos, sive Vicos, sive maris, oppida, illorum Missionariorum opera, quinquaginta fuisse hujusmodi instituta, in quibus ducenta hominum millia ad Christi Ecclesiam aggregatam recenserentur. (a) Ergo iis novis

(a) Videndus Ludov. Ant. Muratorius Christ. fel. part. 2. pag. 144., & Animadv. 1. ad vitam P. Correæ p. 176.

vis Ecclesiæ coloniis, non longe ab Oppidis Lusitanorum plerumque conditis, præerant e Jesû Societate Sacerdotes, quibus voluntate summa Regum Fidelissimorum data esset procuratio, non cultus modo Christiani, sed earum etiam rerum omnium, quæ ad vitam, quæ ad humanitatem, quæ ad salutem, atque incolumitatem pertinerent. (a) (Adnot. VI. pag. 393. *Operæ prætium*.

§. XXVII.

Justissimis de causis Procuratio Paterna Neophytorum Jesû Sociis a Regibus Fidelissimis *credita*.

QUæres fortasse, mi Bolane, quæ tandem ratio eos Jesû Socios abduxerit, ut res Neophytorum publicas, profanasque sibi curandas susceperint, cum ejusmodi procuratio tot, tantisque curis, negotiis, contractibus Sacerdotes religiosos necessario oneraret? Quod contra alibi videmus fieri solere, video, facile te ignoratione rerum Americanarum labi. Sed si tu, vel Ludovicum Antonium Muratorium, qui in iis

(a) Vid. Lud. Ant. Murat. ibidem; necnon Animad. prædict. p. 167., & pag. 176.

iis Paræciis, novisque Americæ Ecclesiis disciplina primæve Jesû Christi Ecclesiæ reviviscentem descripsit, unde exemplum liceret omnibus Christianæ felicitatis, ac sanctimoniæ petere; vel Raynalium, & Robertsonium, nuperos istos Americanæ historiæ Scriptores, mi Bolane, legisses, qui mera monstra de Dominatione Europæa in miseros Americæ Indigenas narrant; profecto illud quærendum tibi non esses arbitratus, cur Jesû Socii eorum Pagorum Institutores, sibi patrocinium, sibi paternam administrationem sumendam existimarent.

Ergo quas ejus rei a me causas requiris, eas vel ab ipsis Americanæ terræ filiis, vel ab Europæis ibi Colonis repetitas ostendam. Primùm enim ea est illorum Indigenarum indoles, ut vel naturæ conditione, vel Cœli ipsius temperatione, vel educationis patriæ negligentia, sint omnes a labore, ac contentione alienissimi, desidiæ, ac socordiæ appetentissimi: sint victus, sint cultus, sint humanitatis, sint vitæ socialis negligentissimi sint ferme ejusmodi brutæ naturæ Alumnis simillimi, quales nostræ ætatis Misanthropus Rusavius omnes homines, odio generis humani, sibi effingebat felicius futuros. . .

Fac eos, in legitimos cœtus, in justos Vicos, in æquabilem Societatem e silvis opera Jesû Sociorum jam convocatos, ipsos sibi permitti, ip-

sos

eos suæ prudentiæ, industriæ, moderationi, arbitrio relinqui; quid putas futurum inde fuisse? Jam qui Missionarii illos e victu ferino per summas ærumnas abduxissent, rursus eosdem cum feris, inter pecudes, in densissimis silvis abditos, denuo fuissent conquisituri, atque ab eorum recessibus, latebrisque solertia, consilio, omnique modo, atque arte excitaturi; ubi sine ullo agrorum cultu, sine ulla frugum colligendorum molestia, sine novæ disciplinæ fastidio, sine assidua Christianæ pietatis solicitudine, sine odioso ullius imperii fræno, ipsi suo, idest, ferme pecudum, modo vivere gestirent. Atque utinam in summa, & indulgentia, & cura, quam erga eos adhibent Missionarii, non tam sæpe accideret, ut Indigenæ recentes a silvis iterum, ac sæpius ad eas tædio vitæ socialis reversi, iterum, ac sæpius essent in Vicos reducendi!

Deinde fac, novos istos vitæ & civilis, & Christianæ cultores fidei, ac tutelæ Europæorum Colonorum, qui in Oppidis degunt, permitti; Quid, quæso, miseris fiet Neophytis? Quod shiltorum magistra, sæpe jam docuit, experientia. An non illud ipsum, quod totum factum jam fuisse declamant veri humanitatis, & religionis vindices Catholici, & decretis suis Pontifices damnant, & edictis suis prohibent Reges, ut vel ab Europæis in servitutem abducti, miseriorem mor-

morte ipsa vitam in ergastulis, in pistrinis, in *ingeniis illis Saccharianis*, in auri, argentique fodinis degant; vel fugitivi antiquas silvarum, ac lucorum latebras, tutissima, atque obvia eorum perfugia, ne tam fœdam, ac laboriosam servitutem nexi serviant, repetendas sibi existiment? Esto, nihil horum fiat: Certe non nimis laudandis Europeæ licentiæ exemplis illi rudiores homines depravati, prius Christianum in morem vivere desinent, quam vivere occœperint. Nunc a te quæro, mi Bolane, num parvæ, num parum justæ tibi videntur esse causæ, quare, qui eos Indigenas in Christo Jesû genuerint Societatis Patres, iidem illos sibi cura, studio, industria, procuratione, atque indulgentia paterna fovendos, alendos, defendendos existiment?

§. XXVIII.

Procuratio Neophytorum simillima Ministerio Diaconorum primævæ Christi Ecclesiæ:

AT in eo negotio curando Jesû Socii Lusitani fient profanæ negotiationis rei. Ita ne vero? Qui Sacerdotes Missionarii tot Regum decretis, tot Præfectorum Regiorum testimo-

nius

niis (*a*), tot Episcoporum laudibus habiti sint integrum sæculum, eoque amplius, optimi Neophytorum Patroni, fidelissimi communium bonorum curatores, cum in conspectu totius Lusitaniæ, prope intra Urbis Regiæ mœnia, & advectos ab America Pagorum fructus reciperent, & in Apothecis palam ad ripam Tagi servarent, & pecunia ex eorum fructuum venditione ea omnia, quæ ad victum, cultumque Americanorum necessaria esset, emerent, empta ad Neophitos in Americam vehenda curarent; illi ipsi repente ad arbitrium impotentis Carvalhii, ad promptissimum Saldanhæ obsequium, ad insolentissimum novi Censoris Edictum, infamis mercaturæ, profanæ negotiationis, commercii, legibus Ecclesiasticis vetiti, erunt Rei habendi?

Tres illi Lusitani Reges, Joannes IV., Petrus II., Joannes V., in ea Nephytorum procuratione Jesû Sociis credita, tam diligenti quæstione discussa, nihil profani, nihil jure canonico prohibiti, nihil non a charitate paterna profecti deprehenderint; Unus vero Carvalhius, avaritia, latrocinio, depopulatione peculatu Mendozæ Fratris,

(*a*) Præsertim Joannis de Maja Supremi Marinoniæ Præfecti. V. Animad. 2. ad vitam P. Corr. p. 175. = Salvatoris Correa de Sa, Urbis S. Sebast. Præfecti; ibid. p. 164. = Guarapaensis Præfecturæ Prætoris, Andreæ Vidal Negræivii, Animad. 1. p. 171.

tris in Marinonia (*a*) miseros Neophytos, Colonos etiam Lusitanos, per summam injuriam deprædati, instigatus, Negotiatores Jesû Socios contra juris Ecclesiastici leges compererit? Quid? cur unos Jesuitas in ea Pagorum procuratione paterna Reos Saldanha pronunciet; Aliorum Ordinum Religiosorum Parochos, maxime vero Excalceatos Reformatæ S. Antonii disciplinæ Franciscanos, (*b*) simili in procuratione versatos, nullius profani commercii affines esse judicet?

Sed quid plura moramur? Nisi quis illos in primitiva Christi Ecclesia septem Diaconos (Act. 6. 4.) ab Apostolis Procuratores plebis Christianæ creatos, qui mensæ communi, qui alimentis, qui victui servirent, negotiationis, commercii, mercaturæ crimine suspectos, atque adeo reos manifesté convictos judicet; nihil causæ dicere poterit, cur Procuratores eorum Neophitorum, quos fidei Jesû Sociorum Reges ipsi permiserint, pro Negotiatoribus profanis sine summa injuria condemnet; cum potissimum disciplinam, quam primorum Christianorum Jerosolymitana Ecclesia in communione vitæ servasset, ex tanto intervallo illi ipsi restituissent.

§. XXIX.

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. p. 126.
(*b*) Animad. 1. ad vitam. P. Corr. p. 182.

§. XXIX.

Saldanhæ Edictum Legi naturæ *contrarium*.

ERgo his adhuc a me commemoratis, si ego te non male, Bolane, cognitum habeo, nihil tibi reliquum fuerit dubitationis, quin Visitator Saldanha Edicto illo suo & contra jussa pontificis fecerit, & innocentiam Lusitanæ Societatis oppresserit, cujus omnes Socios negotiationis vetitæ crimine condemnarit, cum, ne unum quivem aliquem ejus culpæ argumento ullo teneri, probavisset. Vide verò, quò ego fretus justitia, atque innocentia causæ meæ progrediar.

Tantisper ipsi Saldanhæ concessero, fuisse in tot illis, fere mille octingentis Jesû Sociis Lusitanis unum, vel alterum, qui negotiis profanis operam interdum dederit. Nullus ille quidem fuerat; sed fuerit sane. Tamen in omnia jura peccasse Saldanham, evincam, qui infami, qui præpostero, qui enormi Edicto *omnes* Jesû Socios ob noxam *unius* non convicti, non in jus vocati, reos esse pronunciarit. Habuerit, per me licet, Saldanha Quæsitor potius, quam Judex, quem conceptis verbis negatam non habebat, a Benedicto XIV. facultatem judicii, sententiæque

dicendæ. At certé in maxima impunitate, sibi a Carvalhio permissa, in jus naturæ, quæ a nemine dari potest, facultatem datam non habebat.

Est ne Juris naturalis, ne quem, incognita causa, Judex condemnet? Opinor, apud omnes ea lex est naturæ, (*a*) invitis mille sexcentis & Carvalhiis tyrannis, & Saldanhis Visitatoribus. At Saldanha, incognita causa, nulla habita prius quæstione, nullis auditis legittimé testibus, decimo sexto die, postquam Breve Benedictinum acceperat, ante initam Visitationem, Edictum illud suum in omnes Lusitanos Jesû Socios subscribebat. Quo quid scelestius fingi duce natura potest? Est ne Juris naturæ lex, ne quem indicta causa Judex damnatum vellit? Est omnium Gentium, omnium hominum, (*b*). nisi forte sit eximendus ex hominum numero cum suis omnibus Carvalhius, bipedum omnium nequissimus.

At Saldanha Censor acerrimus, non citatis, non interrogatis, non auditis Jesuitis, Edictum in omnes Lusitanos Jesû Socios emittebat. Est ne

(*a*) Numquid lex judicat hominem, priusquam audierit ab ipso? Joan. 7. 51. Defensio enim est de jure naturali, & divino.

(*b*) Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Act. 25. v. 16. Rom. Pontifex fatetur, se nihil in civilibus contra partem inauditam posse definire. C. I. de Causa posses. Saldanha in criminalibus possit? ubi gentium sumus?

ne juris naturæ lex, & nulla gravior pœna Reo non audito imponatur? Est scilicet; nisi velimus in omnes Tyranidem & arbitrariam, & crudelissimam, uno verbo Carvalhianam sancire, Furcira truciorem. At Saldanha sine testibus, sine tabulis, sine dictione causæ ignominiam, atque infamiam, quovis suplicio graviorem, tot, tamque honestis, tam religiosis Jesû Sociis ex sententia Edicti sui inurebat. (*a*)

Quid, quæso, tam arduum, tam molestum, tam factu difficile, Saldanhæ fuisset, nisi venditam, atque addictam Edicti sui censuram Carvalhio haberet, si id ante judicium in Lusitania facere vellet, quod in Brasilia Legatus ab ipso Pro-visitator Josephus Bottellius de Mathos, Archiepiscopus Bajensis S. Salvatoris, faciendum sibi existimabat, ne innocentes Jesû Socios pro Reis haberet, contra quam natura ipsa monstrat? Is enim clarissimus Antistes, ubi primum a Saldanha se Pro-Visitatorem novit delegatum, causam in Jesû Socios legitimé instituit. Omnium Ordinum integerrimos viros, in iis Saldanhæ Fratrem Emmanuelem, Virum principem, & in primis honestum, ad testimonium dicendum excitavit, eos juratos testes, ecquid de negotiatione profana Jesû Sociorum novissent, interrogavit,

(*a*) Apud Dian. in tom. v. Inquis. num. 253.

gavit, Negotiatores potissimúm in Brasilia omnes ad testimonium dicendum pro imperio adegit (*a*) Cur, quæso, non in eamdem juris formulam Saldanha in Lusitanos Jesuitas quæstionem prius exercebat? Cur? quia, si non ipse, at certé ejus monitor, auctor, præceptor, vel potius imperiosus Dominus Carvalhius id veritus erat, ne accideret, quod sibi accidisse, Botellius Archiepiscopus Saldhanhæ, Regi, & Carvalhio scripsit. Litteras enim, habita quæstione, ejusmodi Botellius illis ipsis dedit, quibus negaret, ex tot testibus, a se legittimé citatis, quemquam unum in Brasilia inventum fuisse, qui eos Jesû Socios negotiationis profanæ crimine insimularet. Vides jam tu, mi Bolane, quantum intersit inter Visitatorem Saldanham, & Visitatorem Botellium! Utri credendum, (*b*) existimas?

Quæ cum ita sint omnia; Erit proh Divûm, hominumque fidem! qui in tanta veritatis luce, in tanto splendore innocentiæ arbitretur, Edictum Saldanhæ tenebras offundere Clementi Papæ XIII. potuisse, ne luce meridiana clarius illi appareret nullam mercaturæ suspicionem in Lusitanis Jesû Sociis adhærere? Erit, qui sibi non plane persuadeat per summum nefas, per tyrannicam

(*a*) In vita P. Emman. Correæ p. 57.
(*b*) Adnot. VII. pag. 401.

nicam Carvalhii potentiam, per flagitiosam, sacramque Saldanhæ prævaricationem omnes Jesu Lusitanos Socios Edicto notatos, privatione bonorum multatos, exilio è patria perpetuo fuisse expulsos?

§. XXX.

Alterum Judicium in tres Jesu Socios, veluti Regicidii conscios, a Tribunali *Inconfidenti*.

SEd jam ab Edicto Saldanhæ, morum Censoris in Lusitana Jesu Societate mercenarii, & plane irrito, vanoque ab auctoritate Pontificia illi negata; & prorsus iniquo ab innocentia Jesu Societatis, labe negotiationis profanæ intactæ, & fœde præpostero ab sententia ante causæ cognitionem, reorumque defensionem pronunciata; ad Tribunal illud integerrimum, si Superis placet, Carvalhii, qui nullam sibi aliam legem unquam, quam impotentis animi libidinem agnosceret, veniamus; Altera enim Sententia in Lusitania adversus tres Jesu Socios lata fuerat, Gabrielem Malagridam, Joannem Alexandrum, & Joannem *de Mathos*. Hos enim famosæ illius, ne dicam, fabulosæ conjurationis, quæ in Josephum I. Regem Fidelissimum a Lusitanis Magnati-

gnatibus nonnullis inita dicebatur; non modo participes, sed duces, sed auctores, sed artifices Carvalhius fuisse volebat.

Quid in ea causa reipsa fuerit, paulo post a me in luce clarissima ponetur; si quid artificiis Carvalhii fama mendax vulgaverit, prius ad summam indicavero. Quæstio erat publica, a Carvalhio in Lusitania nova plane instituta, quam ille Tribunal; sive Dicasterium *Inconfidentiæ* (suspectæ erga Regem fidei, opinor, dixisset alius, non æque ac Carvalhius auctor barbarus) nominatam volebat, (*a*) qui monstris etiam verborum ducebatur. Pridie idus Januarias anni 1759. ad speciem de sententia Judicum, ei quæstioni attributorum, revera ipsa, pro imperio unius Carvalhii, pronunciatum fuit Judicium adversus eos sicarios, qui in vitam Josephi Regis Fidelissimi conjurasse dicerentur ab unis Carvalhii assentatoribus. Conjurasse vero dicebantur in illud nefarium Parricidium Lusitani Proceres duo: Tavora, & Averius, qui facinus aggressi per duos sicarios, alterum Josephum Polycarpum Azevedjum, alterum Antonium Alvarezium Ferreiram tertio nonas Septembris 1758. dicerentur: cujus impiæ, ac Sacrilegæ Conspirationis Architecti, & Suasores illi tres Jesu Socii a me ante nominati, nunciabantur. §. XXXI.

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 127., & seq.

§. XXXI.

Trimestre totum *de Parricidio tacitus Carvalhius*, ad extremum *illud per* Edictum *indicit*.

ECce tibi, mi Bolane, novum majoris abollæ facinus, non ab illis quidem Proceribus admissum, sed totum ab uno Carvalhio nefarié excogitatum, quod tu, opinor, paulo post tecum miraberis; Europa certe tota fuit admirata. Ego illud pono: Tres illos Jesû Socios, paulo ante a me appellatos, neque re ipsa fuisse ejus Parricidii conscios, neque Clementi XIII. ita suspectos, ut de ficto eorum scelere, quod tu suspicabaris, non apertissimé illi Pontifici, & universæ Europæ de innocentia Lusitanæ Jesû Societatis, constaret. Mihi sine argumentis nolim credas. Quo istud, ais, argumento? Gemino, mi Bolane, atque eo utroque manifesto. Altero quod nullum fuerit cogitatum, nullum susceptum in Regem Fidelissimum Parricidium. Altero, quod ex Actis, rebusque judicatis, quas Carvalhius proferebat, nulla ejus Parricidii probatio legitima conficiatur, ut non modo satis liqueat, totum crimen a Carvalhio fuisse confictum, sed etiam stulté, inconstanter, ineptè confictum fuisse constet.

Dico igitur primum: Nunquam in caput Josephi Regis in Lusitania ab illis Magnatibus, quibus Parricidii commentitios auctores tres Jesû Socios Carvalhius assignabat, fuisse conjuratum. Quo, istud teste, quo demum Auctore? Quo? Teste in hac causa omni exceptione majore, in omni alia re Calumniatore, perjuro, perfido, nefario, ipso illo Sebastiano Carvalhio, totius Conjurationis mendacissimo Auctore, totius Parricidii Artifice unico. Quid ait Carvalhius? ex Edicto in vulgus dato idibus Decembris anni 1758. quatuor ante diebus a se signato, in hunc modum Minister Carvalhius fabulatur: Ecce tibi Carvalhiani Edicti Summam:

„ In Regem Fidelissimum Josephum Primum a „ Sicariis impetum factum fuisse tertio Nonas „ Septembris ejusdem anni, eoque impetu Re- „ gem fuisse vulneratum. " (a) Ex ipso Edicto ecce tibi impium facinus: ecce facinoris impii unicum ex Edicto Carvalhii testimonium. Fac quæso, mi Bolane, diem cædis factæ cum die Edicti vulgati conferas; invenies, tres totos menses nihil cum civibus suis Lusitanis Lusitanorum Ministrum de cæde, de vi, de impetu, de vulneribus Regis communicasse. Miror silentium. Sed nihil utor suspicione fraudis a tam diutur-

(a) Anecd. Ital. tom. I. pag. 201.

diuturno silentio, in tam nefario scelere, a tam impotentis iræ Ministro, cuivis facile manifesta. Æsto: malitiosé tacuerit trimestre totum Carvalhius.

Quid jam tandem loquebatur? In Edicto demum de cæde Regia, prope jam obsoleta, Cives omnes edocebat, quibus ingentia præmia pollicebatur, si quis auctores, si quis alios conjurationis conscios, si quis Parricidii participes deferret „ Delator, ajebat, Nobilis, altiorem nobilitatis gradum præmii loco obtinebit; Plebejus, magna pecunia donatus in ordines Nobilium transcribetur. " (a)

§. XXXII.

Mendax Edictum de Cæde revictum ex Carvalhii Codicillis, Regem ab Scalis prolapsum *testificatis*.

HAbes veri Edicti sententiam: vide jam Edicti vim, quovis ictu fulmineo & velociorem, & potentiorem. Illa ipsa nocte, idus Decembris proximé insequuta e Familia Marchionis Tavoræ septem; e Domo itidem Ducis Averii Magnatis, Viri Principes duo sunt in carcerem Jussu Carvalhii conjecti. Nondum satis insontum,

(a) In vita P. Correæ p. 259.

tum, magnorumque reorum. E Jesû vero Societate Sacerdotes tres idibus Januarii 1759. sunt in Carcerem dati, idest, pridie quam sententia in Magnates executioni mandata fuit. (*a*) Hi Parricidii regii auctores dicuntur.

Nunc jam a te, Bolane, quæro. Quis tam imperitus rerum humanarum, tam hospes in re politica, tam in aulicis Regum negotiis peregrinus, qui calumniatoris Ministri male partum, male vulgatum, male sanum Edictum non videret totum in nefario mendacio incubuisse? Quis non statim apud se tritum illud usurparet, *memorem mendacem esse oporteret*? Enim vero omnes, mirum esse dictu, dicere: quo demum die narrare Carvalhium impetum, ac cædem regiam fuisse facta 3. Septembris. Quid istud rei esse? Illum ipsum Carvalhium quid per Codicillos scripsisse, quos 3. Septembris circum omnes Regum, Legatos, ad Nuncium ipsum Pontificium misisset? Nonne conceptis verbis potuisse in iis Codicillis, (en tibi Exemplum Schedulæ) (*b*) ,, Ex aula Regia 4. Septembris 1758. datis: Excellentiam tuam certiorem facio, hac nocte evenisse, Majestatem suam Fidelissimam orsum in viridarium descendere, fortuito e gradibus aberrantem

rantem

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. p. 216.
(*b*) Anecd. Ital. tom. I. p. 194.

rantem sibi scapulas læsisse: " Et ideo omnes quærere, nonne adhuc in manibus illos officiosos a Carvalhio esse Codicillos ? Non omnes Carvalhii jussu scriptos, & Sigillo Regio signatos ? Nemo erat mihi crede, Bolane, qui non ipse secum, qui non cum aliis loqueretur, qui non præterea Acta Lusitana diurna meminisset die 6. Septembris jussu Carvalhii edita, in quibus ille regius casus, ille pedum e gradibus lapsus, illa scapularum luxatio nunciaretur.

§. XXXIII.

Clemens XIII. non potuit non agnoscere tres Jesû Socios Parricidii Regii non fuisse *conscios*.

HÆc cum Ulyssipone Cives omnes, etiam e furno, lacuque redeuntes, & pueri, & anus omnes scirent, cum per ora totius Europæ e diariis istis actis volitarent; poterat ne Clemens XIII. non suspectum habere Carvalhii Edictum ? Poterat non fraudem, non calumniam, non dolos Sinonis illius Lusitani, plus vice simplici jam ante in rebus aliis compertos vereri? Poterat de innocentia Jesû Sociorum a novo Sajano oppressa, dubitare? Ille Sanctissimus Pontifex, ut erat in libris divinis solitus versari, profecto sæpe illud

illud (*Dan.* 13. *v.* 56.) in Hebræos Judices; Susannæ Calumniatores, secum repeteret „ mentitus es in caput tuum semen Canaan, & non Juda. " Et vero mentitum fuisse Carvalhium, ne Carvalhius quidem ipse potuit inficiari, cum in judicium, mortuo Josepho Rege, est ab ejus Filia Regina vocatus. Quam sæpe Clemens XIII. secum impudentiam, audaciam, impietatem, flagitium, sacrilegium Ministri miraretur, qui quasi de capite, ne dicam de corio, Regis Fidelissimi luderet, modo illum de Scalis in viridarium deturbaret, modo ne scapulis quidem lapsi Regis parceret, modo occulto vulnere, quod nemo alius, nisi unus vidisset Regius Minister, regium brachium sauciaret, modo fortunam iniquam labentis Regis miseraretur, modo conjuratos Sicarios; Parricidas in Regem, ab stipatoribus, a Custodibus, a Servis omnibus relictum, imitteret.

Nam ita diceret Romanus Pontifex: Si quando accidit (atque utinam nostris temporibus nunquam accidisset) ut sagrilegi grassatores in regiam alicujus Principis Majestatem, in sacrosanctam Regis Personam, scelere, atque amentia cæci irruerent; extemplo punctis omnibus, & ordo totus sceleris perpetrati, & tempus certum, & locus definitus, & conspirantium manifestus consensus ab omnibus tenetur: non tri-

mestres

mestres induciæ cum Sicariis, cum auctoribus vero quadrimestres, non Codicilii aliud, aliud edicta, aliud judicia in Parricidas facta, loquuntur. (a) His sine ulla dubitatione similia secum Clemens cogitaret, nisi eum unum nescisse id, quod omnis Europa palam loqueretur, sibi quis velit persuadere.

Age vero, mi Bolane, relictis jam Carvalhii Codicillis, quibus Edicti Calumnia penitus evincitur, ad reliqua edicti manifesta mendacia, quibus conjuratio tota evanescit, accedamus.

§. XXXIV.

Marchio Tavoræ tempore ficti Parricidii Domi Convivio *præerat*.

QUem in actis judiciariis ducem, (b) Præfectum, Auctorem, Præsidem Parricidii facit Carvalhius? Franciscum Assisium Marchionem Tavoræ caput fuisse cædis, præsedisse insidiis in Regem collocatis, signum Sicariis præsentem dedisse, ut in Regem jacularentur, Carvalhius edicebat. Quid si illa ipsa noctis hora, qua cædes facta fingitur a Carvalhio, infinitis testi-

(a) Alia secum pugnantia lege t. I. Anecd. Ital. pag. 229.
(b) Anecd. Ital. tom. I. pag. 195.

testimoniis constet Tavoræ Marchionem 3. Septembris domi non modo se continuisse, sed etiam suos omnes secum interfuisse cœnæ? ad cœnam lautissimam complures Affinium, complures Amicorum invitatos habuisse? Quid si ad multam dici proximi lucem celebratum fuit ludis musicis, choreis etiam, de more convivium? Atqui Ulyssipone de Cœna, de Conviviis, de præsentia Tavoranæ Familiæ vulgo constabat.

Equitem scio, quantum sibi Carvalhius semper in jura omnia Civium, quantum in leges Regni voluerit sibi licere; at ne illud quidem ipse sibi, satis certò scio, arrogaverit, ut simul eadem noctis hora, & arbitrum domestici convivii, & domesticæ saltationis Coriphæum, & musici ludi domi editorem, Marchionem Tavoræ efficiat, simul foris Grassatorum Ducem, Conjuratorum Caput, Cædis Præsidem, insidiarum præsentem Moderatorem, eadem noctis hora Tavoræ Marchionem exhibeat. Nisi forte, quod prodigium in Divo Antonio (a) Patavino ediderat Deus, ut uno, eodemque tempore simul præsens Patavii Concionaretur, simul Ulyssipone innocentem eriperet; id Magica Carvalhii opera in

Ta-

(a) Idem prodigium in Marchione, & Marchionissa Alorno, eorumque Filiis narrat Carvalhius in Actis judiciariis. Ii enim Regicidæ fuisse dicuntur, cum essent ea ipsa nocte 3. Septembris Cintræ quæ Arx est septem leucis ab Ulyssipone distans.

Tavoræ Marchione factum dicamus; ut & simul domi cœnaret, & Foris simul insidias nefarias moliretur, simul duobus in locis cum Sicariis Regem aggrederetur. Huc illud scilicet. *Sursum versus flumina recurrent*, si Carvalhio sit libitum.

§. XXXV.

Altera fabula Carvalhiana de Servis Ducis Aveirensis in Regem noctu missiles glandes jaculatis.

QUid tu amplius, mi Bolane, jam hoc loco desideres, ut mentitum Carvalhium in caput suum statuas? ut non conjurasse Tavoræ domum in Regem apertè videas? ut nullos Parricidii Auctores Tavoræ Marchioni fuisse Jesû Socios tibi persuadeas? Et tamen qui semel Carvalhius fidei, juris, humanitatis fines omnes transilire jam cœpisset, impudentissimum sese Delatorem in ducem Aveirensem ostendere pergebat, ut demum crudelissimus in eum Carnifex evaderet.

In actis enim judicialibus affirmat Josephum Mascharenium, Ducem Aveirensem, cum in caput Regis Fidelissimi conjurasset, per binos domesticos, Josephum Polycarpum Azevedum Cubicularium, & Antonium Alvares Servum, ve-

ctos equis fistula igniaria in Regem glandeas plumbeas emisisse. Hic nova ex ore Carvalhii mendacia nihil miror. Illud amentiæ non possum mirari satis, ut sine ulla simulatione veri, sine ulla specie similitudinis, audeat tam impudenter in Magnates crimina effingere. Audio: duos Aveirii famulos ab equis in Regem voluisse grassari. Ita ne? non plures, quam duos? An non Stipatores secum multo plures Rex habere solebat? Esto: Servi duo Regem adoriuntur: Quo vero loco tantum erant ausi facinus bini Servi equites Averiani? Octo (*a*) in locis, ajunt, diversis, præsertim prope Regiam ipsam, & prope domum Carvalhii. Quis non miretur amentiam, non dico Servorum, sed Carvalhii Delatoris, qui locum insidiis non sane appositum ceperit, cum ab ipsa Aula Regis, ab ipsa Regia domo Minisrri, facile subsidio venire milites prætoriani potuissent, qui ad primum expolsi tormenti strepitum Sicarios vel circumcluderent, vel vi caperent.

Quo demum tempore explodunt tormenta manuaria Averiani Parricidæ? Noctu, inquit Carvalhius, Hic si liceret cum Cicerone loqui, non illud jure meo iterarem. „ Dii te perdant Carvalhi, ita non modo audax, sed amens, ac fatuus

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 196.

tuus es! " Noctu Ulyssipone, ubi a te constitutæ essent cohortes frequentissimæ, ubi vigiles in equis noctem totam circumirent, qui, si quem non grassarorem modo, sed otiosum, vagumque offenderent, confestim e præparatis patibulis (*a*) eos suspenderent; ibi noctu bini Sicarii, Regem ipsum adorti, carnifices illos tuos, ubique vicorum paratos, effugere potuissent? Quid illud de strepitu, atque explosione tormentorum a nemine Prætorianorum vicinæ Regiæ a nemine stationis tuæ militum, qui tibi essent tyrannici stipatores, a nemine Opificum, id temporis lucubrantium, exaudita?

Video totum Parricidium unius fuisse Carvalhii delatoris; nullos in equis Averiani Servos fuisse, nullam Regis, a suis deserti, nocturnam domum reditionem, nullam tormentorum sine strepitu explosionem, nullam missilium glandium emissionem nullam Averii Ducis Conjurationem.

§. XXXVI.

Fabula malé de Azevedo, Aveirani Servo, a Carvalhio *composita*.

AT illud saltem Carvalhius in ornanda tragedia sua curabat, ut Azevedum Sicarium in

(*a*) V. Animad. 8. ad vitam P. Correæ pag. 275.

vinculis confessum Parricidium induceret . nihil vero minus ; Cum Carvalhio Calumniatori nihil neque facilius ad fingendum, neque speciosius ad fallendum ea mentita mentiti Sicarii confessione videri potuisset . Quid ergo erat ? Id quod jampridem in sceleratissimo quoque prudentissimé fuisset a multis observatum , in Carvalhii teterrima calumnia denuo apparebat; ut cum ille falsarius esset ad crimina , & admittenda , & affigenda projectissimus , idem in iis & comminiscendis parum esset cautus, & in probandis non satis attentus . Nam cum Azevedum in Regem ipsum temere induxisset grassatum, eumdem præter omnium opinionem vix exploso sine strepitu pyrio tormento, vix emisso sine ictu telo imbelli, equo se ita proripientem faciebat, ut deinde nusquam gentium inveniri potuerit, unde vivus , vidensque ad supplicium raperetur . Neque enim ipse Azevedus , sed Azevedi straminea , & sigillaris imago, idibus Januarii anno 1759. comburenda ducebatur .

Olim quidem Judæi, illi Christi Servatoris Parricidæ, merito ab Augustino Hipponensi Episcopo irridebantur , qui dormientes testes ad calumniæ fidem faciendam , quam de Corpore Christi clanculum e sepulcro surrepto finxissent, adhiberent; & tamen hos , opinor , Carvalhius, non ita alienos sibi auctores , in Azevedi fabula su-

mebat

mebat imitandos, cum regium grassatorem, regium Sicarium, regium Parricidam a nemine conspectum, a nemine visum, a nemine auditum, nusquam gentium repertum, per aera medium, ad Cimmerios, nescio quos, populos, pegaso, opinor, fugientem & pictum, & fictum, & sigillarem, & stramineum cremandum existimabat.

§. XXXVII.

Diariorum vanissima de Azevedo *narratio*.

QUamquam ne omnia reprehendamus, illud peccatum tragediæ, per Carvalhium datæ, correctum ab alio Circulatore scitissime videamus. (*a*) In Diariis anni 1783. ad Januarium mensem non sine omnium risu illa lepidissima fabella vendebatur: Azevedum illum Regis Sicarium, quem Carvalhius equo vectum evanescere in fumum penitus effecisset; nusquam pedem Ulyssipone extulisse, Ulyssipone, in Urbe frequentissima, duos & viginti annos totos, Nugivendum atramentarium per celeberrima loca discurrisse: Ulyssipone demum in publico Valetudinario ægrum sese apud confessarium Sacerdotem (nomen Sacerdotis reticebatur) prodidisse Sica-

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 220.

Sicarium jussu Averiani Ducis in Regem immissum.

Hic non clavus, quod ajunt, clavum, sed fallacia alia aliam trudit. Non effugerit equo Azevedus, per me licet, exploso tormento: fuerit jure suo in eo calumniatus Carvalhius: fuerit idem delator regius Calumniæ revictus ab impuro illo Diarii Scriptore. At cui tu, Scriptor Ephemerie, fidem in eo facias, Azevedum tot annos per ora Civium quotidie divagatum, oculos Argi illius Lusitani perstrinxisse? Cui præbes, auritum illum Lusitaniæ Midam, Centimanum illum Giam, Terræ filium, Carvalhium effugere potuisse? Scilicet Aveiriana Familia Ulyssipone sic erat obscura, ut ex illa Sicarius regius, non ita pridem ad vivum in sigillo & effectus, & palam flammis combustus, nemini deinde cognitus, impune per urbem totam & tot oculis, & auribus Regiis, Persarum Regum exemplo, a Tyranno Carvalhio repletam; latere in omnium conspectu, & atramentarium omnibus quotidie fumum vendere potuerit. Et tibi Sacerdos fuit aliquis anonymus, insane aretaloge, qui arcana Sacramenti proderet? Qui famæ Carvalhii ut serviret, infamia sempiterna manes quietos jam Averiani Ducis aspergeret? Sed jam in re apertè ficta diutius non necessaria argumenta congero, ut tibi probem, Bolane, nullos Averianam domum

in

in Regem Fidelissimum Sicarios e servis suis parasse, nunquam in caput Regis conjurasse.

§. XXXVIII.

Principes Tavoræ, & Aveiri a Societate Jesû penitus *alieni*.

QUæ cum ita esse videas, ultro te mihi, Bolane, illud daturum confido, nullos e Jesû Societate fuisse, qui Lusitaniæ Primoribus Dynastis ficti fuerint Parricidii suasores. Sed erit tamen operæ pretium, istam famosissimam criminationem, in nonnullos Jesû Socios vanissimé, & nefariè a Carvalhio conjectam, in judicium, atque examen subtilius revocare. Quo argumento Carvalhius Artifices hujus sceleris, in Regem a Lusitanis Magnatibus suscepti, fuisse Jesuitas disputat? erant, ait, Principes illi Viri intima consuetudine cum Jesû Sociis, assidua familiaritate conjuncti. (*a*) Quid? si ego nihilo tibi, Bolane, minus in hac re Cavillatorem perjurum, quam in aliis omnibus nefarium, mendacemque Delatorem, Carvalhium probo? Atqui nihil factu facilius. Nam extant adhuc acta legitima, in ea causa confecta, omni exceptio-
ne

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 131. & seq.

ne majora, quæ eos Lusitaniæ Proceres, quos Jesuitis facit Carvalhius amicissimos, nunquam Jesuitarum ædes officii causa, nunquam eorum Templa religionis gratia fuisse ingressos, nunquam usum, consuetudinem, amicitiam cum illis habuisse. Nunquam contra Jesuitas eorum domos adiisse, nunquam non dicam familiariter, sed ne paulò quidem humanius, cum illis egisse. At a quo confecta acta tam alienos illos Principes Viros a Jesû Sociis evincunt? Ab illo Nuncio Pontificio Acciajolio. Cujus auctoritate, atque imperio confecta? Clementis XIII. qui ita ab illo inquiri in Jesû Socios, ex severioris formula juris præcepisset. (a)

Et erunt tamen in tanta, tamque convicta Carvalhii calumnia, in tam patenti, ac testata Virorum Principum Tavoræ, & Aveiri innocentia, per summum nefas a Lusitano Sejano oppressa, qui tibi, Bolane, persuadere conentur, Jesû Socios jure fuisse Clementi XIII. suspectos quasi & Auctores fuissent conjurationis, & Artifices occulti ejus Parricidii, quod ex Codicillis ipsius Carvalhii nunquam fuerit intentatum, quod nullo legitimo teste fuerit per Carvalhium confirmatum? Quid? An non res ipsa, tantum non emissa voce pro se clamat, totam illam Parricidii Tragæ-

(a) Anecd. Ital. tom. II. pag. 231.

tragædiam a pessimo Quadruplatore ; atque omnium maxime impio, ac nefario Carnifice fuisse confictam ?

Si Tavoræ Marchio, si Dux Aveirensis, si Azevedus, si quid Jesuitæ erant in Regem impié machinati; cur Regis vulnera nemini videnda dabat Carvalhius, (*a*) quibus conspectis fides certissima Parricidii omnibus fieri poterat ? Cur tot Ambages verborum, tot strophæ in actis judiciariis, (*b*) & Edicto tam impedita, tam prolixa, tam odiosa fabulæ narratio ? Tu, mi Bolane, velim hæc tecum attente cogites, dum ego me ex hoc labirinto Carvalhiano uno illo non Ariadnæ, nescio cujus, sed naturæ ipsius filo me expedio. Multiplex est, & varium mendacium, simplex, & constans veritatis gratia. Nullum hic profecto effugium reperire potest Carvalhius. Parricidii regii, & Conjurationis Optimatum, & Jesuitarum narratio ab uno ipsomet Carvalhio Accusatore, Teste, actore, & Judice multifariam, variisque modis inter se pugnantibus, cum de ea ipsa re, tum de Adjunctis singulis rem ipsam circumstantibus, facta fuit Clementi XIII. Supremis Principibus, & Europæ universæ. Igitur & Parricidium, & Conjuratio Commentitia omnino

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 195.
(*b*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 227., & seq.

sunt, & mendacia mendaciorum omnium mendacissima. Igitur Optimatum & Jesuitarum innocentia Clementi XIII. Supremis Principibus, universæque Europæ evidenter innotuit (Adn. IX. *At enim*.)

§. XXXIX.

Carvalhius ne ex formula quidem Juris Naturalis falsam Conjurationem ementitus *adumbravit*.

AT enim Carvalhius, semel calumniam atrocem meditatus, ex legitima Juris saltem naturalis formula per subornatos delatores, per testes perjuros, per quæstiones solito ferociores, per adulteratas, suppositas, corruptas, vitiatas, mentitas tabulas, saltem dicis causa, ad speciem saltem, falsumque colorem, duo illa pro legitimé probatis jactabat, & saucium fuisse Regem, & Proceres de Consilio Jesuitarum Regis Parricidium intentasse; ut quæ criminatio esset ipsa in se nulla, ex allegatis, & probatis, quemadmodum Jurisperitorum filii loquuntur, aliqua fuisse videretur.

Ecce jam tibi, mi Bolane, alterum Orationis meæ caput, in quo adversus Carvalhium veritas nullo negotio triumphat: ita enim se in ea causa

tota

tota gerebat vitæ, & necis, honoris, atque infamiæ arbiter unus Carvalhius, ut pro uno imperio, pro sola animi libidine omnia moderatus, neque vulnera Regis, neque conjurationem in Regem factam *ex formula Juris publici* voluerit probatam. Probanda quidem ad speciem a Carvalhio fuisse vulnera Regi inflicta, antequam capitis, atque horrendi supplicii sententiam Judices in illos Lusitaniæ Optimates, in priores Jesû Socios pronunciarent; tu ipse, mi Bolane, concedes. Ego illud denuo addam: Si Rex saucius, si vulneratus revera erat, nihil futurum fuisse facilius, quam fidem ejus rei omnibus manifestam fieri. Quam enim multi, quam Nobiles, quam fide digni futuri erant, qui & vidissent cubantem, & miserati fuissent dolentem, & curassent Regem vulneratum? Saucius erat in rheda reductus Rex: ita enim Carvalhius narrabat. Quid? Officii, ac reverentiæ causa nemo erat Ulyssipone, qui Regem inviseret? Nullus ex ordine Magnatum, qui in cubiculum Regium admitteretur? Esto: Ægritudo ipsa Regis saucii fucosa ista solatia, ambitiosa Aulicorum alloquia excluderet, maxime cum blandissimus Carvalhius ægroto Regi assideret, dolentem solaretur, vulneratum recrearet: tametsi multis auctoribus dicebatur, Carvalhii conspectum ita Rex, etiam sanus, solitus exhorrescere, ut, si quando talis

luderet, ejus audito ingressu, tali e manibus sponte effluerent. (a) Quid vero illud teterrime Sejane? Nemo regios Medicos, nemo Chirurgos regios ad Regem convocaret? Nemo dolori fomenta pararet? Nemo manus medicas vulneribus adhiberet? Nemo malagmata imponeret? (b)

At enim, Bolane, video, te dicturum, non adeo fuisse sævum, ac crudelem Carvalhium, ut ne saucio quidem Regi opem a Medicina comparaverit. Audio. Utrum tu vero voles hac in re, Bolane mi, elige profecto. Si ægroto, ac saucio Regi opem ferendam a Medicis Carvalhius non curabat, eum tu ipse sævum, eum crudelem, eum immanem, eum plusquam Regium Parricidam nominabis. Si vero comparavit, neque tamen voluit in judicio publico, in causa Regii Parricidii, testes Medicos, testes Chirurgos, testes Pharmacopolas, testes Cubicularios, testes Famulos regios proferre; Ego quo Carvalhium nomine appellem, nisi tu mihi aliquod, tanto par prodigio, ac monstro suggeras, profecto nescio. Dicerem amentem, qui fidem causæ regiæ de industria tacitus abrogaret; dicerem furiosum, qui, quod nemo non videret causæ necessarium, solus non animadverterit, solus neglexe-

(a) Anecd. Ital. tom. I. pag. 55.
(b) Ibidem pag. 195.

glexerit, solus præterierit. At ista tu neges nomina in Ministrum Regium, in Moderatorem Lusitani Imperii, tibi satis probatum, cadere. Nega, ut voles. Ego profecto, si illum Calumniatorem, illum arbitrarium Delatorem Magnatum, illum Accusatorem impium Jesû Sociorum illum tyrannis omnibus Judicem impotentiorem appellem; satis certo scio, omnibus bene sentientibus Orationis meæ æquitatem probavero.

§. XL.

Singulari Numinis Consilio factum ut ipse se Calumniatorem proderet *Carvalhius*.

EQuidem neminem rerum humanarum paulo peritiorem futurum esse video, cui ratio ista tota Carvalhianæ criminationis non inepta, non vecors, non furiosa, non supra fidem futura videatur: quam ego sane, hominum de me opinionem veritus, proferre nunquam essem ausus, nisi ille ipse causæ totius inventor, ornator, auctor in vulgus longissima volumina, infinita Macrocola, alia super alia scripta verbosissima, ex quibus res tota pateat, edidisset. Quæ cum mecum ipse attentius reputo, sæpe cogor illud e Vate Sanctissimo commemorare (*a*) „ *Deus* adducit

(*a*) Iob Cap. 12. v. 17.

adducit Consigliarios in stultum finem, & Judices in *suporem* " Nimirum ea providentissimi Numinis ratio in tota illa tragædia permittenda fuisse videtur, ut ipse se Carvalhius calumniæ auctorem proderet, ipse sibi fidem abrogaret, ipse se tyrannum in reos innocentissimos profiteretur,

Pimum enim mentem illi eripi Deus ipse passus fuit, ut statim Codicillos circum omnes Principum Legatos, quibus Regem ab scalis lapsum mentiretur, dimitteret. Nam quid jam inde Carvalhius faceret? Aderant officii causa extemplo legati, aderat Nuncius Pontificius Acciajolius, aderant Regni Proceres, aderat Regia tota domus, Brasiliæ Princeps Regis Filia hæres imperii, Regina ipsa aderat, cui rerum publicarum interea committebatur per interpretem Carvalhium moderatio.

Ergo, sic secum Carvalhius loqui cogebatur, quid hic ago? Alicui majorum istorum videndum Regem permitto? Actum est de tota tragædia Regem sanum, integrum, salvis scapulis, nullis obligatum fasciis coram aspiciet. Mihi falsos Codicillos in faciem impinget, me publicum calumniatorem, quo sim dignus abire jubebit. Quid si Regina reipublicæ causa volet Regem consulere? Ne tunc quidem Regem coram aloquetur? Ne tunc quidem, ajebat secum loquutus Carvalhius, viso Rege fuerit opus. Quid ita

non?

non? Regem ego præmonuero, ut non deducto sipario, ut deficientis vocis sono, Reginæ consulenti respondeat; si honori, si vindictæ, si securitati suæ cavere velit; sic opus est facto. In Aula Regia omnia suspecta Regi feci. Mihi uni fidissimo sibi credit. De regiis famulis res est in vado: tacebunt; quibus malum minabor, siquis quid veri crepet.

Certe ex ante die 3. nonas Septembris (*a*) usque ad idus Decembris 1758., quo demum die per Edictum Regem, jam curatis vulneribus, bene valere cives palam edocebat, nemo est ad Regem videndum intromissus. Et erit aliquis, mi Bolane, ita, vel studio erga Carvalhium cæcus, vel odio in Magnates, invidia in Jesû Socios a vero alienus, & uni Carvalhio conjurationem, vulnera, Parricidium sine tabulis, sine testibus affirmanti, credendum esse contendat?

§. XLI.

Postulantibus Judicibus argumenta Parricidii malum minatur Carvalhius, ni in sententiam suam *judicent*.

AT enim ex illis rebus judicatis, quas typis Carvalhium Ulyssipone edebat, septem Judices

(*a*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 195.

dices in consilium missi, extremo supplicio puniendos Parricidas esse pronunciarunt: & quidem Synedrium Hierosolymis morte afficiendum Jesum Nazarenum pro impio, pro seditioso, pro nefario judicaverat. Nam ego primum a te, Bolane, quæro: Quidnam illi Judices fuerunt? Illi quidem, si nescis, vel de Curia, vel dicasterio Inconfidentiæ sunt a Carvalhio Judices convocati. Quid? Non illi ipsi, bene sibi in Inconfidentia confidentes Judices, erant in multis antea causis experti, quemcumque Civem vellet Carvalhius perditum, eum non posse sine sua ipsorum Judicum pernicie pronunciari innocentem? Non posse illum non videri, ea omnia male fecisse, quæcumque male facta vellet Carvalhius?

Esto: fuerint Judices sui judicii, non Carvalhiani omnes arbitrii. Quid? Quo accusatore, quibus testibus, qua reorum defensione, qua quæstione, quibus tabulis causa tota continebatur? Nullis omnino neque tabulis, neque juris legitimi formulis a natura ipsa præscriptis. Convocatis Judicibus (a) dat legendam causam totam viginti novem paragraphis constantem (b) Carvalhius, infinita verborum volubilitate, quæ scriptorem malum, ac vanum proderet Carvalhium,

(a) Bon. Ratioc. pag. 32.
(b) V. Compend. Hist. expul. pag. 105.

lhium, (a) scripta. Illi cum viderent Acta inepta; absurda sine nervis sine ulla juris formula confecta: cum viderent ea, si semel in vulgus edita essent, infamiam venditis Judicibus, misericordiam reis innocentibus, Carvalhio ipsi tyrannicæ impotentiæ notam allatura; pudore metum vincente, ausi sunt a Carvalhio modestissimé postulare argumenta, tabulas, testes, quibus veritas Actorum niteretur; Ut enim se non dubitare, quin Scriptor Gausæ habuerit, quæ sequeretur; sic jure neque sibi, neque cuiquam Judici licere non modo de Summis Viris, sed ne de infimis quidem e plebe Civibus sine argumentis fide dignis sententiam ferre.

Ibi vero Carvalhius ira, furore, amentia præceps, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio: „ Malum, inquit, vobis plus nimio religiosis, si curiosius in causa præjudicata moremini; Argumenta, si quæritis, sunt apud meipsum certissima: Illud unum a Vobis postulatur Judicii, quo demum supplicii genere sint isti Parricidæ puniendi? " (b) Hic tu mihi, Bolane, sententiam Judicum objicies?

(a) Judicum nomina, quæ ad me pervenerunt sunt: Aloysius de Acunha, Thomas Ioachimus Acosta, Joannes Alvarez Bachalhao, Petrus Gonzalez Corderio, exclusus fuit de industria Præs. 85. Anecd. Ital. tom. I. pag. 213.

(b) Animad. 8. ad vitam P. Correæ pag. 262.

Hìc fidem Calumnianti Tyranno a timore subscribentium Judicum factam contendas? Hìc non ipse manibus teneas confictum a Carvalhio Parricidium Regium? Hìc non tibi compertum habeas, maluisse Judices perjurio suo in alios innocentes supplicium derivare, quam constantia fidei sibi ipsos perniciem afferre?

Et vero ex iis unus, qui fidem noluerit vendere Tyranno, non fuisse (a) vanum aliorum timorem, ostendebat. Regius Fisci Patronus Antonius Costa Freirius, qui jussus a Carvalhio, ut ex officio acta judicialia conficeret; cum recusasset ex eo, quod nullum erat indicium hujus conjurationis, nulla suspicio; eodem die a munere deturbatus, & in carcerem Junqueriæ conjectus, ibidem mortuus est (b) Ex sex Judicibus unus Joannes Alvarez Bachalhao capitis sententiam in Magnates, & Jesû Socios pronunciare noluit.

Ergo, ut nihil jure in ea causa actum fuit, sic ego tecum paucis jure, Bolane, agam. Jus est, ut si Accusator Judici non probet singula crimina, reus absolvatur, reus innocens habeatur. Jus est, ut, si Actor ne probare quidem velit objecta reo crimina, Calumniator judicetur.

Quid

(a) Compend. hist. expuls. pag. 105.
(b) In vita P. Cor. p. 252. & Anecd. Ital. tom. I. p. 227. & 216.

Quid tu mihi respondere potes? Non probavit crimina Carvalhius. Ergo innocentes Magnates, innocentes Jesû Socii pœnas dedere. Probare omnino crimina noluit Carvalhius? Ergo Calumniator, ergo Tyrannus: ergo Parricida tuus Carvalhius, qui supra modum extorta a Judicibus sententia lætus, idibus Januarii 1759. inaudita crudelitate supplicium de Magnatibus sumebat.

§. XLII.

Carvalhius per tormenta nullam a Tavoræ familia Parricidii confessionem *expresserat*.

SI quis vero secum miretur, quare Carvalhius Judicibus illis plane suis nulla Parricidii argumenta, nulla testimonia legenda proposuerit; is facile intelliget, tam apertam, tam patentem, tam manifestam fuisse innocentiam eorum hominum, quos furori suo sacros, quos crudelitati omnino devotos Carvalhius volebat, ut ne minimam quidem maleficii suspicionem posse se facere legitimis argumentis, ne apud venditos quidem arbitrio suo Judices, confideret.

Quid enim de Tavoræ familia sibi ille promitteret, quod ad probandum Parricidium cogitatum valeret, cum nullis ante quæstionibus, nullis tor-

nientis, nullo suppliciorum atrocissimorum præsenti terrore, confessionem ullam falsi sceleris extorsisset? Nec enim non ille fore videbat, ut, si fictam Parricidii confessionem in actis illis suis Tavoranæ Familiæ supposuisset; illico Judices aut postulare possent, aut etiam essent postulaturi, ut ea confessio coram a reis rata haberetur, ut a Judicibus ipsis Tavoræ coram Familia de Parricidio suscepto interrogaretur: qua una quæstione legitimé habita, non Parricidium in Reis, sed maleficium in Carvalhio palam convinceretur. (Adnot. X. *Ergo*.)

§. XLIII.

Carvalhius Sutorem Testem a se subornatum non audet Judicibus in Aveirum *offerre*.

ABeo jam a Tavoræ Familia, quæ nihil viva in atrocissimis tormentis, nihil e mortuis per speciem excitata, dederat argumenti, quod Carvalhius proferre posset coram Judicibus, ut fucum aliquem calumniæ, & speciem veri mendacio compararet. At quid erat causæ, cur Carvalhius testimonia nulla in Averianum Ducem ederet? Certé in ea causa, in vulgus edita, unus aliquis testis legitur, qui Aveirum conjurasse in Regem dicat. Arrige mihi aures, mi

Bola-

Bolane, unus fuisse testis in Aveirum scribitur. Vin' tu scire, quisnam ille fuisse dicatur? Sordidus Sutor, nescio quis. Vin' scire a quo impurus cerdo ille conjurationis arcanum acceperit? Non ab alio Sutore amico, non ab aliquo infimæ conditionis opifice, non ab operis Aveiri, sed ab Ancillula quadam Aveiriani servitii; digna profecto, quam Sutor perdité amaret. At qua ratione Ancilla, a Cerdone amata, de consilio Parricidii excogitati facta fuerat certior? Nec enim, opinor, herus, qui in amore Cerdoni rivalis esset, in consilium regii Parricidii Ancillulam vocasset. Scriptor ille Commentitiæ causæ nihil de ea re, nihil de quæstione, nihil de interrogatione Ancillæ coram Aveiro scribit.

Nunc Jam ego demum intelligo, quare Carvalhius, postulantibus Judicibus argumenta Parricidii excogitati, testimonium Sutoris non exhibuerit, *Sutor*, diceret secum Carvalhius, *unus testis*, *nullus ex jure testis*. Sutor, amator Ancillæ, vanissimus erit habendus testis, qui sane, ubi coram Aveiro duce testimonium jussus erit, præsentibus Judicibus, iterare facillimé a reo innocente refutabitur; qui idcirco a me corrumpi passus fuit testis, quod sciret, *non esse se coram Aveiro interrogandum*. (*a*)

§. XLIV.

(*a*) V. Animad. 8. ad vitam P. Correæ pag. 260.

§. XLIV.

Carvalhius tormentis expressam, & deinde revocatam Aveiri confessionem malitiosè *suppressit*.

ERgo silentio testis Sutorius a Carvalhio prætereatur. At cur confessio tormentorum terrore expressa ab Aveiro siletur? Ita enim acciderat, ut cum initio interrogationis Aveirus, coram tormenta intuitus, quæ confessione falsi Regicidii vellet declinare, conjurationem mentitus esset, ea nihilominus mox subire coactus fuerit, atque dolore acerrimo victus, se reum Parricidii in Regem mentiri perageret, quo citius ab equuleo auferretur. Quid erat, cur Carvalhius non rem totam Rei confessione probatam Judicibus, argumenta rogantibus, ostenderet? Nimirum nolebat ille, non delator modo infandus, sed fœdissimus etiam Magnatum Carnifex, sole meridiano clariorem calumniam suam Judicibus dare aspiciendam.

Aveirus primùm vi doloris mentitus conjurationem, deinde de consilio Advocati Nobilium, ad vanam judicii legitimi speciem sibi dati, coram ipso Carvalhio, coram Petro Gonzalezio, Cordeirio Judice Inconfidentiæ, & coram alio Mini-

Ministro, (*a*) plane confessionem retexuerat, dolore uno extortam; plane solemni juris formula Palinodiam cecinerat, plané sese innocentem; innocentes reliquos Proceres, innocentes Jesû Socios ejus criminationis asseveraverat. Quid? Poterat ne Carvalhius non fingere apud Judices, satis, superque rem totam sibi uni probatam? Poterat ne de confessione extorta ab Aveiro, non tacere? Scilicet vivo Aveiro periculum omnino erat, ne Judices coram confitentem reum vellent audire. Negaret Carvalhius copiam audiendi Aveiri? Suspectum sese, ne dicam manifestum, Judicibus calumniæ fecisset: faceret Aveiri interrogandi denuo potestatem? Aveirus fictam conjurationem confiteretur.

Ecce tibi, mi Bolane, causam, quare argumenta suppressa vellet Carvalhius. At qui non est consilium adversus Dominum. Nec enim adeo arte; malitia, dolo Carvalhius valuit, ut illud ex Evang. (Matt. 10.) *Nihil est occultum, quod non revelabitur*, in æternam nominis sui infamiam non valuerit. Nam miser, atque insons Parricidii Aveirus, jam jam extremum supplicium subiturus, summo studio a Confessario suo contendit, (*b*) ut is Regem verbis suis certiorem

(*a*) Ex diar. luter. Theophili Murr. an. 1783. edito Norimbergæ pag. 223. Et Anecd. Ital. tom. I. pag. 213.
(*b*) Anecd. Ital. tom. I. pag. 212. & Murr. ibid.

rem faceret, sese coram tribus testibus retexuisse illam, sibi tormentis extortam, confessionem, sese morti jam proximum profiteri, nullam fuisse initam a se, nullam ab aliis Magnatibus, nullam a Jesû Sociis in Regem conjurationem. (Adnot. XI. *Juverit*.)

§. XLV.

In Jesu Socios nulla argumenta Parricidii Carvalhius Judicibus *edebat*.

ERgo adversus Magnates omnino insontes malitia abusus sua, argumenta nulla Carvalhius Judicibus exhibenda censebat. At quid erat, cur in Jesû Socios illos læsæ Majestatis a Carvalhio calumniosé accusatos, nulla vellet documenta Judicibus suis ostendere? Si de alio quidem Accusatore apud te, Bolane, verba facerem, video, quid tu mihi esses statim responsurus: ideo documenta non fuisse prolata, quæ legerent ipsi Judices, quia nemo Jesû Socios ejus Parricidii reos postulasset, quia nemo in eosdem testimonium dixisset, quia nulla ejus criminis suspicio in tales viros caderet; quia omnino nulla essent argumenta, quæ non dicam reos, sed ne leviter quidem Parricidii ficti suspectos Jesû Socios facerent.

At

At nunc de Delatore, de Calumniatore; de Falsario, de Perjuro, de Artifice summo Criminationis, de Carvalhio ipso, ut uno verbo omnia dicam, tecum ago. Quæro: qui demum factum sit, ut, cum pro arbitrio posset impunè Carvalhius, quam multa vellet, quam nefaria excogitare sciret, quam insidiosa comminisci posset, argumenta in Jesû Socios, testimonia, tabulas, instrumenta, genus omne supponere, aut nulla tamen in actis illis suis fingeret, aut certe a se ficta, excogitata, mentita nulla Judicibus legenda dare vellet? Non ille Jesû Societatis plusquam hostis capitalis in omnia ejus domicilia de repente invaserat? Non tabulas omnes, quæ apud illos Jesû Socios essent, ad manum habebat? Non omnia manuscripta monumenta, quæ ibidem essent, in potestatem suam redegerat? None libros, non codices, non schedulas omnes, non *folia* etiam omnia, ut ajunt, *volantia*, sui unius juris, ac mancipii fecerat?

Esto: nihil in tot scriptis, quod ad Parricidii Regii conjurationem pertineret, Carvalhius invenisset; ut profecto nihil usquam neque pictum, neque fictum de Regio Parricidio invenerat. Quid? Qui divis, hominibusque iratus, nihil pensi habuisset in comminiscenda tam nefaria, tam apertè mentita in Regem conjuratione; cur non fuit ausus, ejus sceleris expressa

vestigia; comperta argumenta, tabulas totidem verbis Parricidium mentitas sibi affingere, quas judicibus legendas objiceret? Quid in eo Carvalhius, qui fas, & nefas nullo discrimine haberet, sibi vereretur? Jesû Sociis non ea dabatur, ne adumbrata quidem causæ dictio, ut coram a Judicibus vocarentur, ut coram falsarium Carvalhium supposita scripta, mentita argumenta legitime convincerent. Illi indicta causa erant in carcerem conjecti; illi nunquam ad causæ cognitionem evocati; illi numquam ad tormenta subeunda coacti; si unum excipias Hiacyntum a Costa atrociter excruciatum, ut Regis Fratrem Petrum, cui a Confessionibus fuisset regiæ Conjurationis conscium fuisse mentiretur. (a) equidem cum oculos in Carvalhii immanitatem converto, nihil causæ in eo fuisse video, quare in Jesû Socios nulla argumenta a se pro libito composita protulerit, quæ a Judicibus lecta umbram fidei aliquam calumniæ fecissent.

§. XLVI.

Non sine singulari Numinis consilio factum, ut Carvalhius nulla argumenta Judicibus daret a se supposita.

At ego idem, cum interesse rebus humanis Numinis sapientissimi consilia apud me cogito,

(a) Anecd. Ital. tom. I. pag. 232.

gito, mihi videor, rem totam facile intelligere: Arbitror enim ea de causa Carvalhii astutissimæ menti tenebras offundi, passum fuisse Deum, ut palam postea Ecclesiæ toti, palam summo ejus Pontifici Clementi XIII. fieret totam Parricidii regii criminationem ab uno Carvalhio fuisse sacrilege confictam. Pro imperio, pro jure arbitrario; pro potestate æconomica (a) volebat Carvalhius eorum sententia Judicum, qui penitus causam nescirent ad supplicium crudele Magnatum, ad Jesû Sociorum, (quos odio internecino odisset) exilium, imperiosissimè abuti.

Non obstitisse Deus hominis furentis consilio videbatur; Judices Carvalhiani insontes Lusitaniæ Proceres barbaræ immanitati sententia sua devovebant, Carvalhius rem illam judicatam, typis edendam curabat: omnes Populi, ac Nationes Christiani nominis, atrocitate supplicii attonitæ, diligentissimè acta illa omnia evolvebant: In actis furiosi Tyranni nihil jure, nihil more, nihil usitate, nihil ad non impotentis Ministri Regii libidinem factum animadvertebant; indignissimam Magnatum Sortem miserati, redivivum in Lusitania Sejanum diris omnibus execrabantur. Itaque communis Ecclesiæ totius indignatio, cum ad aures Clementis XIII. pervenisset: Pontificem

(a) Adnot. XII. *Quid his verbis*.

Summum æqui juris, humanitatis, clementiæ amicissimum eò adduxit, ut cum plenam totius causæ, in qua Religiosi Sacerdotes in criminationem præter omnium opinionem vocarentur, cognitionem sibi comparandam arbitratus; eorum innocentiam luce clariorem quasi oculis ipsis aspiceret.

At enim, inquis, quid demum boni ea Clementis cognitio Jesû Societati divino consilio attulit, quam primo in exilium missam, deinde omnibus calumniis exulceratam, omnibus artibus, opibusque impetitam, ad extremum suppressam Carvalhius sit potentia sua gloriatus? Vis ne tu aliquando, mi Bolane, non cum perditis sentire, sed cum bene sentientibus in causa Jesû Societatis sapere? Consilia apud insipientes ab exitu; apud prudentes viros a principio solent æstimari. Fuerit Carvalhius & sua, & aliorum sui similium opinione felix ad aliquot annorum spatium; qui per summam injuriam propositum finem calumniæ suæ obtinuerit. Sit Jesû Societas ad speciem misera, quam suppressam impotentia potius inimicorum, quam libera potestate Clementis XIV. Regiis Ministris undique circumventi, Ecclesia ferme universa & in præsentia doluerit, & deinceps in dies singulos magis ac magis lamentetur.

At vide quæ, quam multa, quam magna com-

commoda, ex illa Carvalhii arbitraria injuria, nullis argumentis neque veris, neque adumbratis suffulta, Jesu Societas perceperit. Primum Societatis innocentia ex illis actis Lusitanis ficti Parricidii omnibus patere. Deinde odium furentis Criminatoris in bonos omnes, luce meridiana clarius ostendi, & totam rem judicatam iis cuhinnis in Europa irrideri, ut ferreo ejus ori pudorem expresserit, dederitque opera Carvalhius ut omnia exempla, quæcumque posset, vi, pretio gratia recuperare, abolerentur: Tum famam Sociornm Christi Causa a Carvalhio pessimé vexatorum, ore omnium bonorum celebrari: Præterea per tam apertam, tam insignem Carvalhii Criminationem locum Clementi XIII. non protegendæ modo Lusitanorum Jesu Sociorum innocentiæ, verum Universæ Jesu Societatis publico ac solemni judicio Confirmandæ, dari; postremo Pontificio decreto *Apostolicum* Clementis XIII. omnibus manifestum fieri Abolitionem, paulo post ab ejus Successore Pontifice factam, ejusmodi esse, ut millum infamiæ aditum aperiat, nullam innocentiæ Maculam aspergat, nullum impedimentum obiiciat, quominus in integrum, & causa tota, & Salus Jesû Societatis restituatur: id quod integras Nationes, quod multos Principes, quod multas Civitates jamdudum ita efflagitare videmus, ut ipsius perturbationis, quæ hodie Eccle-

Ecclesiam Christi pervadit, originem primum ab oppressione Jesu Societatis palam, atque aperté repetendam vociferentur.

§. XLVII.

Edictum perpetui Silentii promulgat *Carvalhius*.

Atque ut ipse nihil admodum dubites, mi Bolane, quin maxima commoda ex illa Criminatione arbitraria Carvalhii in Jesu Societatem, tacita quadam Dei providentia moderatione, redundaverint: fac paulisper mecum, quæ postea gesta sint, in ea causa recognoscas. At primum omnium satagens Carvalhius rerum suarum, qui se & Delatorem imperitum irrideri, & Carnificem immanissimum apud omnes furiis, ac diris devoveri, indignissimé ferret; dat operam, ut a Rege suo 16. Calendas Februarias (a) 1759. Edictum de perpetuo Silentio in ea causa auferat: „ Nequis, pœna Capitis proposita, unquam Parricidii Causam in judicium revocaret. “ Quasi vero, aut non omnis rogatio legis, ab immanissimis etiam perlata Tyrannis, ea se sanctione solita sit præmunire; aut quasi lex aliqua humana posset Con-

(a) Lib. suppl. ad omnes Principes pag. 70.

Contra jura Naturæ ipsius sarcta ac tecta diutius Manere.

§. XLVIII.

Carvalhius de exterminandis Jesu Sociis Pontifici Maximo scribit, eoque invito in Pontificiam ditionem eos insolenter *ejicit*.

DEinde atroci, ac prope inaudito Magnatum Lusitanorum supplicio nondum exsatiato odio; furiis, opinor, conscientiæ exagitatus Carvalhius, cum ipse per se (Rege, sine potestate sibi a Pontifice Summo facta in Sacerdotes, exilii, & Capitis pœna sævire nolente) non posset iram impotentem in Jesu Societatem explere binis litteris ausus de mense Majo 1759. (*a*) in sententiam suam Clementem XIII. etiam reluctantem; atque invitissimum, vel pertrahere, vel certé dolo malo pertractum omnibus mentiri, Alteris enim Pontifici Summo in hunc sententiam Regio nomino scribebat (*b*) „ Regi Fidelissimo „ penitus deliberatum, ac constitutum esse om„ nes omnino Jesu Socios ab omni Lusitanorum „ ditione extorres exilio perpetuo addictos nul„ la ex eorum bonis, fisco jam addictis, pecunia

„ ad

(*a*) Anecd. Ital. t. 2. p. 26.
(*b*) Brev. hist. pag. 132.

„ ad sustentandam vitam donatos, in ditionem „ Pontificiam deportare. Et vero Jesu illos Socios interea, invito Clemente XIII., 12. Septembris 1759. reipsa ejicit, & die 4. Octobris Edictum exilii, a Rege subscriptum die 3. Septembris 1759. vulgavit. (a)

Hic cum plurima vel dicere in impotentem Carvalhii insolentiam, vel pro misera innocentissimæ Jesu Societatis conditione deplorare, mihi liceret: hoc tantum significem, Europæ universæ ex ista cum Ministri Regii in Pontificem Summum injuria, tum in tot Lusitanos Sacerdotes immanitate, satis patuisse, non pœnam Reis indici, sed vindictam odio iniquissimi Tyranni parari.

§. XLIX.

Carvalhius jus profani judicii a Clemente postulans in Ecclesiasticos, se palam auctoritatis non suæ fuisse invasorem Sacrilegum *confitetur*.

AD rem redeo; alteris litteris non jam odium acerrimum, sed immanem nescio quam, rabiem, ac vecordiam spirantibus, Carvalhius a Pontifice Maximo postulabat „ ut profanis Judicibus

(a) Anecd. Ital. t. 2. pag. 57.

„ cibus Regiis, sine interventu, ac cognitione
„ Quæsitoris ullius Ecclesiastici, Clemens XIII.
„ Litteris Apostolicis in perpetuum tempus ra-
„ tis, potestatem eam faceret, qua iis liceret &
„ quæstiones exercere in personas sacras, & sen-
„ tentiam Capitis in eos ferre, & supplicium
„ extremum de iis sumere, si pareret profanis
„ Judicibus, Ecclesiasticos homines, quicumque
„ illi essent Regiæ Majestatis violatores fuisse. “

Quid hic mihi, Bolane, de tuo Carvalhio narras? Scilicet studium disciplinæ Ecclesiasticæ tuendæ, quo se tantopere jactabat Carvalhius, dum falsam, ac suppositam mercaturam in Jesú Socios castigatam velle se mentiebatur, hominem eo religiosissimum adducebat, ut per profanos Judices sacram quæstionem exerceret, ut Sacerdotes venditis, atque addictis Judicum Carvalhianorum sententiis objiceret, ut eosdem quamvis innocentes carnifici excruciandos permitteret. Ego vero illud conficio: Carvalhium hac epistola palam fateri, se Pontificii juris invasorem fuisse, cum die 12. Januarii 1759. illos tres Jesuitas pœna Capitis damnatos voluit: & judicium illud sine Pontificis auctoritate prolatum nullum fuisse, & irritum. O admirabile divinæ Sapientiæ Consilium!

§. L.

Almada jussu Carvalhii Breve supponit. Idem per domesticum tabellarium in itinere Litteras Pontificias intercipiendas *curat*.

ATque ut ipse per te satis superque, mi Bolane, intelligas, nihil sani, nihil moderati, nihil æqui juris Carvalhium sibi proposuisse in iis scribendis ad Pontificem Maximum litteris, vide, quæso, quid doli mali sit eodem tempore Regius Minister suo nomine exorsus. Romam, id quod postea apud omnes constabat, per eumdem Tabellarium scribit, ut Almada suppositum Breve de sententia suorum Amicorum, quos conjurasse in perniciem Jesuitarum emptos grandi pecunia noverat, componat; Ita compositum, ut prolixe omnia Regi, qua de exilio, & bonis Jesuitarum, qua de judicio in Ecclesiasticos profano, Pontifex largiri dicatur, domesticis, ac furtivis (*a*) typis imprimat; impressumque latenter pro vero, ac germano Pontificio Brevi ad se primo quoque tempore transmittat. (*b*)

Ergo

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. pag. 8.
(*b*) Ibid. pag. 8. & 9.

Ergo haud segnis falsarius Almada ad manum jam concinnatum Breve falsum, quod vero Brevi supponeret, habebat, quod in Lusitaniam mitteret; (putabat enim per Regium Tabellarium Pontificem rescripturum) ubi primum Rescriptum a Curia Pontificia accepisset. Cum de repente a Purpurato Patre, sibi amicissimo, nescio quo, (aut potius quem nominare nolo) fit certior, jam Veredarium Pontificium cum litteris ad Lusitanum Regem Roma esse profectum (a) Ibi delusus Almada furere, spumas ore agere, in omnia se vertere: illico domesticum a se Tabellarium mittere, eum, quam maximis possit itineribus, prægressum a Pontifice Tabellarium jubet assequi. Ad Aquas Sextias Veredarius Veredarium assequitur, pecuniam quantam poscit Pontificius, tantam Regius Tabellarius offert. Quid pluribus est opus? Fasciculum cum Brevi Pontificio acceptum ad Carvalhium Tabellarius Regius perfert. Pontificius, ab equo pecunia dejectus, ad Aquas Sextias crus de industria lapsus fregisse se mentitur.

(a) Anecd. Ital. tom. II. pag. 10.

§. LI.

Carvalhius iniquissimé fert responsum Pontificis, clanculum a se *sublectum*.

CArvalhius, tradito sibi fasciculo Pontificio, qui de more inscriptus esset Nuncio Acciajolio, postquam sine ulla violati a se sigilli religione Breve legitimum legit, dici vix posset, quo furore odium animi sui pristinum in Clementem, atque in Jesû Societatem denuo inflammaverit; cum viam sibi non præclusam ad novum maleficium, ac certé impeditam videret. Ita enim alteri Epistolæ rescribebat Clemens Regi fidelissimo, ut consilium totum de exilio Jesû Sociorum improbaret. „ Non esse quidem æquum, quemquam civium indicta causa in exilium pelli: esse vero plané iniquum insontes cum noxiis puniti. Siquis e Jesû Societate in noxa esse, judicio legitimo constaret, in eum ex jure canonico animadverti quidem oportere: sed videret tamen Rex, ne per latus Jesû Societatis perniciem Regno, labem nomini suo, detrimentum publicæ animarum saluti afferret. " (a) Quid plura? In eam sententiam scripta erat epistola, in quam die 16. Aprilis 1767. idem Cle-

(a) Brev. hist. expuls. Jes. p. 133.

Clemens Carolo III. Regi Catholico de Jesuitarum revocanda expulsione scripsit. (a) Alteri vero Regiæ Epistolæ Pontifex respondebat: „ Æqui bonique consuleret Rex ut in causa Parricidii ipse Pontifex Judices Ecclesiasticos daret, qui Jesû Socios eo nomine postulatos in jus de more vocarent. Ut semel crimine legitimé probato, ipse Pontifex reos justo supplicio puniret: Juris quidem esse divini, & naturalis, ne cum reo insons puniatur. Clementiæ vero futurum Regiæ, nolle Regem, si quis plane fuisset convictus eorum sanguine, qui Deo essent religione dicati, regias manus inficere. "

§. LII.

Carvalhius Nuncium deterret, ne Litteras Pontificias Regi reddat, & rursus malitiosé *cavillatur*.

CUm ergo ab spe illa priore, Regis impunè per suppositum Breve decipiendi Carvalhius excidisset, & nihilo Almadæ suo minus, quam sibi timere cogeretur; (in eo enim fasciculo Epistolam Pontificis a Rege postulantis, ut Almadam in curia sua seditiosum oratorem libellorum infa-

(a) V. lib. cui titulus Sensa Rom. Pontif. §. 13. & ult.

infamium artificem, & editorem, Roma abire juberet, idem Carvalhius legerat) (*a*), vocat ad se Nuncium Ulyssipone Pontificium, fasciculum rursus a se mentito signo obsignatum reddit; pro imperio illi præcipit, ne eas litteras Regi tradere, ac ne verbum quidem unum de iis apud Regem unquam facere audeat.

Nemo, opinor, non hic videt, quam impius in Pontificem, quam perfidus in Regem, quam sagrilegus in Jesû Socios, quam nefarius delator Carvalhius esset. Ergo cum dolus, cum odium, cum furor ministri interea non resideret, novas fraudes ex illis Pontificiis Litteris in ipsum Romanum Pontificem illico Sinon ille moliri cæpit, per quas odio ipse suo in Jesû Socios effrænatius inserviret. Brevi enim cum res de suppositis litteris, de Veredario Pontificio corrupto, de Nuncio cum Rege agere prohibito, in vulgus emanasset; ibi Carvalhius, qui in calumnia jam omnes alios delatores superasset, ipse se in ea superare, ac velle denuo in malitia triumphare cœpit. Ita enim apud Regem jam de re tota certiorem factum, singulas Clementini Brevis sententias est calumniatus (*b*), ut eum in eam suspicionem induxerit; voluisse Clementem clas-

sicum

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. pag. 9.
(*b*) Ibidem tom. II. pag. 12.

sicum iis Litteris Apostolicis, non in Regis modo Fidelissimi vitam, sed in aliorum etiam Regum omnium caput præcinere; quo artificio suspicacem, & timidum sponte sua Regem eo adduxit, ut illud totum Parricidii puniendi negotium Ministri sui arbitrio permiserit.

§. LIII.

Carvalhius extorto demum a Clemente jure in Ecclesiasticos, vetitus est a Rege in Jesû Socios *abuti*.

IN eo rei, causæque totius statu Carvalhius non modo decrevit, Oratorem Almadam, (per quem famosas Satyras in Jesû Societatem ex clandestina illa Nicolai Pagliarini typographia ederet; & quod audaciam omnem, & impietatem superat, in Regem ipsum, quasi a Jesû Sociis scriptas) Romæ invito Clemente esse oportere, sed ipse, dimissis circum omnes Regum aulas famosis in Clementem scriptis, Pontificem Summum in summam invidiam adducere moliebatur, quæ, si divis placet, Caput Jesuiticæ in omnes Principes conjurationis efficeret. Non vacat pro sceleris gravitate fraudes omnes impurati, sacrilegi, impii Scribæ commentariensis persequi. Si per miseræ Ecclesiæ tempora liceret, saltem affli-

afflictam Majestatem, violatamque Sanctitatem Summi Pontificis deplorarem: quæ ab illo Carvalhii Ministerio retro fluere, atque in dies magis, magisque, non sine communi rei & publicæ, & religiosæ detrimento, cœpit vilescere, atque sordere.

Res certé eò tum processit, ut bonus Clemens pro bono Christiani nominis eò descenderet, ut per novas litteras amplam potestatem Lusitano Regi faceret, ut Judices profanos reis Ecclesiasticis, in causa *læsæ Regiæ Majestatis*; volens nolenti animo præficeret. (*a*)

§. LIV.

Causa in Jesû Socios Regicidii nomine falsò suspectos *iteratur*.

UBi primùm Carvalhius a Clemente XIII., & calumniis atrocibus circumvento, & omnibus terroribus, minisque impetito se ferale illud decretum extorsisse videt; (quod Clemens ideo dederat, ut calumniam a Sede Apostolica repelleret) denuo causa in Jesû Socios, prius per sceleratam, & sacrilegam Pontificii juris violationem, jam inde a die 12. Januarii 1759. exulcera-

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. pag. 14.

cerata, apud eosdem illos Inconfidentiæ Judices jussu Regii Ministri instaurata, recrudescere cœpit. Tres illos Jesû Socios Malagridam, Mathosium, & Alexandrum, apud omnes (*a*) alium alio Sapientiæ Christianæ gloria nobiliorem, ficti Regicidii reos antea mentitus fuerat Carvalhius: tunc quinario, opinor, numero magis apud se, ex aliquo vel Pithagorico, vel Etiopis illius Sagæ familiaris suæ somnio, delectatus, binos de repente tanti Parricidii conscios commentus fuit e Jesû Societate egregios Sacerdotes (*b*); Alterum Lusitanæ Provinciæ Præfectum, Joannem Enriquezium; alterum Josephum Moreiram Regis prius, Reginæque Confessarium.

Nulla interponitur causæ cognoscendæ mora. Confidentissimi illi malé ominatæ Inconfidentiæ Judices non ex jure Naturæ, non ex æquo, & bono, sed ex præscripto arbitrario, ne dicam, ex libidine cæca impotentis Carvalhii, sine nova causæ ditione, sine solito ordine fori, in consilium ire ex tempore jussi, eamdem illam in Jesû Socios sententiam, quæ Carvalhio ante jam libuisset die 30. Julii 1759. iterum pronunciant. (*c*) Hic nemo, opinor, non ipse per se, tacente me, intelligat, secundas & Carvalhii, &

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. pag. 240.
(*b*) Ibid. tom. II. pag. 22.
(*c*) Ibidem pag. 22.

Carvalhianorum Judicum curas non meliores, ut in proverbio est, sed multo iniquiores fuisse: qui novos reos e Jesû Societate non auditos, non in judicium vocatos, priore sententia, malè in alios dicta, damnatos voluerint.

Hoc aliis fortasse mirum: mihi vero omnino videri solet iis Judicibus consentaneum, qui venditam jam pridem & fidem, & sententiam odio Carvalhii addixissent. Duo ego potius mirari satis nunquam potuissem, nisi & Regis, prius decepti, meliorem jam mentem, & Carvalhii obstinatissimum in scelere furorem, reipsa cognovissem. Quæ vero duo? Alterum, cur ex illa in Jesû Socios sententia lata nunquam sit de illis sumptum a Carvalhio supplicium publicum? Alterum, cur ne publicata quidem illa ipsa in illos sententia capitis fuerit? (*a*) Quid? Carvalhius, qui odio capitali cum in omnes alios Jesû Socios, tum potissimum in illos quinque, quos Artifices Regicidii cogitati dictitaret, jamdiu flagrasset, qui extorta illa Clementis facultate mirum in modum visus triumphare fecisset, non Regem Carvalhius adierit? Non solita fidei simulatione vindicem se Regiæ Majestatis Carvalhius ostenderit? Non eum ad acerrimam pœnam de Jesuitis Regicidis sumendam accenderit?

Non,

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. pag. 23.

Non, dicat aliquis, sibi, non suæ vindictæ furori ille Carnifex Sacerdotum immanissimus defuit. Regem adiit, fidem simulavit, pœnam ursit. At Regis Clementia furorem Ministri vicit, supplicium illis quinque Jesu Sociis remisit. Ita ne vero? Si Carvalhius furori suo coactus fuisset, non connivente sibi Rege, cedere; quæro, cur illud saltem non procurasset, ut lata jam a Judicibus suis sententia in publicum vulgaretur? Esto sanè: non oculos truces crudeli spectaculo; non animum impuratum innocentium sanguine Sacerdotum explevisset; at simulata illa Justitiæ pronunciatione, suæ famæ consuluisset, quæ perfidia calumniæ, quæ odio immanitatis, quæ tyrannidis horrore apud omnes lacerabatur: at obsequii erga Regem suum studio tantopere a se jactato, magnum momentum, pondusque comparasset, cum Regem laude clementiæ in reos, religionis pietate in Sacerdotes, humanitatis in Cives suos amplissimo testimonio, ob remissum sontibus supplicium, omnibus commendaret. Sic enim exemplum illud Salamonis (a) in Abiatare æmulatus Rex & amore justitiæ, & clementiæ bonitate, omnibus multo charior, multo commendatior visus fuisset.

(a) Lib. 3. Reg. c. 2. vers. 26.

§. LV.

Rex calumnia Regicidii comperta Judicium in Jesû Socios vulgari vetuit, ac sumi ab eis *pœnas*.

DIcam, quid rei fuerit: obtenta jam sævien-di in Sacerdotes facultate, quam a Clemente armatis precibus petivisset, idcirco Carvalhius se a supplicio sumendo continebat, a supplicii sententia vulganda absistebat, quod jam Rex ipse prius malis artibus a Ministro suo deceptus, iniquissimam pœnam a Magnatibus sumptam, horreret, neque innocentissimo quinque Jesu Sociorum sanguine denuo sanciri scelera Ministri sui pateretur.

Quid vero Carvalhius? Non illum quidem sceleris, ac furoris pœnitere, non ad humanæ mentis sensum velle redire, non inflammatam vindictæ cupiditatem innocentibus Jesû Sociis remittere; sed veluti Lupus in media jam cæde a Pastore deprehensus, interim latere utcumque tecto abire, simulata foris formidine, intus furore denuo gliscente, recedere. Quod totum exitus tragediæ demonstravit; quos enim per Carnificem Jesû Socios, vetante Rege trucidare publicé non potuit, eorum plurimis lentissimo supplicio mortem in carcere procuravit. Nihil

enim

enim Morerium, nihil Alexandrum, nihil Mathosium juvabat, quod celeberrima testificatione Divos, hominesque testarentur; sese innoxios in vinculis teneri frustra sese Regi Fidelissimo semper maximam fidem, semper maximam pietatem præstitisse, Moreria Regius Confessarius, professus, quidquam de conjuratione in Regem rescivisse se, palam inficiebatur. In vinculis, in carceris fœtore, in extrema illa miseria diem supremum obire, est a Carvalhio coactus.

Quid de Mathosio, Viro illo religiosissimo loquar? qui cum extremo jam Eucharistiæ viatico iter sibi ad Superos pararet, coram Parocho, coram Militibus, a quibus servaretur, coram carceris Præfecto Junqueriæ sanctè protestabatur, per summam calumniam illa sibi esse crimina omnia afficta, quæ in se fuissent conjecta. (*a*) De Malagridæ innocentia plura postea dicemus suo loco. Enriquezium singulari Numinis consilio, ac benevolentia, exilii causa Romam (*b*) cum triginta quinque Jesû Sociis fuisse postea die 10. Junii 1767. missum, omnes mirati sunt, qui Carvalhii malitiam, & furoris pertinaciam in ea Præpositi Provincialis relegatione non agnoscere, se satis dictitabant.

Ex

(*a*) Brev. histor. pag. 387.
(*b*) Bona ratioc. pag. 78.

Ex quibus omnibus apparet, adeo perspicuam fuisse Jesû Societatis innocentiam, ut eam obscurare non potuerit Carvalhius ille, qui pro insita hominis ingenio superbia, pro jure illo suo œconomico, pro arbitraria potestate, pro effræni libidine, omnia sibi licere putabat illo suo effato: *sic volo: sit pro ratione voluntas*. Et vero exemplo potissimum Carvalhii, (per eam tempestatem positas sibi leges & divinas, & humanas reipsa negantis,) impotentia Imperii longe lateque per Aulas Principum vagata, fas, & nefas omne permiscuit, quæ quorsum ad extremum evaserit, hodie universa Christi Ecclesia luget.

Sed ungues, opinor, ab ulceribus præstabit procul habere: nihil de illa Judicii arcani ratione, qua ex Hispaniæ Provinciis postea ejecta fuit Jesû Societas, repetere: nihil de eo latrocinio Onuphrii Alfani, (a) quo Pisanium Jesuitam, & Collegium Romanum oppresserit, arbitraria sibi uni facta a Clemente XIV. potestate judicandi, & retinendi penes se unum Acta judicialia, (ut infinita alia arbitraria, despotica, liberrima, ante inaudita præteream) inculcare, satius erit.

Summam rei totius potius fecero. Nulla in vitam

(a) Adnot. XIII. *Per illud*.

nitam Regis Fidelissimi conjuratio. Nullum in ejus Majestatem intentatum Parricidium, Carvalhium convincit Calumniatorem omnium bipedum nequissimum: Supplicium crudelissimum de insontibus Magnatibus, de Jesû Sociis innoxiis sumptum, eum arguit teterrimum omnium Carnificem: Nulla ne ad speciem quidem criminis probatio, illum ipsum impotentissimum Tyrannum posteritati toti detestandum, abominandumque demonstrat.



TER-

TERTIUM A QUÆSITORIBUS LUSITANIS JUDICIUM.

§. LVI.

Judicium a suppositis Fidei Quæsitoribus in Malagridam & impium, & *nullum*.

Restat nunc Judicium illud Tertium in illum Jesû Socium Gabrielem Malagridam factum ab iis in Lusitania Judicibus, quos sacerrimos in Causis Fidei Catholicæ Quæsitores, sine ullo jure legitimo, sine ulla auctoritate Ecclesiastica, pro animi sui libidine Carvalhius, qui invitis Divis, hominibusque cupiebat perditos Jesu Socios, creaverat. Et verò Nomen istud Quæstionis Religiosæ, Nomen consilii sacri, Nomen *Tribunalis Sancti Officii*, nihilo mihi minorem horrorem, ac reverentiam, mi Bolane, quám tibi ipsi hodie incuteret, ne contra ejus sententiam, etiam a Lusitania procul, hiscere auderem; nisi summus illi Christiani Nominis & Magister, & Primus omnium Judex, & Pontifex Maximus, Clemens XIII., nihil esse credendum Carvalhianis illis male hominatis Fidei proditæ Quæsitoribus, perfidiæque Carvalhianæ delectis Ministris, judicasset. Ita enim Pontificem sensisse Maximum paulo post tibi plane, pleneque constabit.

Quare fac te mihi æquum ad ea; quæ jam sum dicturus, exhibeas: sic enim apparebit, nihil ex condemnatione iniquissima Malagridæ obscuratam fuisse Jesu Societatis Lusitanæ innocentiam, nihil criminationem totam, nihil nigerrimam calumniam, nihil confictum in Regem Parricidium, ex illo non Judicio Fideli, sed perfidissimo latrocinio; sibi fidei auctoritatisque comparavisse. Ego hanc orationem meam ad duo capita revocandam existimo; Alterum, sententiam adversus Malagridam a Quæsitoribus suppositis; quibus nulla esset in causis sacris jurisdictio, fuisse pronunciatam ostendam: Alterum, Judicium illud totum, sine causæ cognitione, impotentissimo Carvalhii odio fuisse venditum, atque proditum demonstrabo; ut nihil a quoquam dubitari possit, quin innocentissimus ille Sacerdos, optimus ille Jesu Socius, nullius criminis, non dicam reus, sed ne ulla quidem probabili vel maleficii, vel Parricidii suspicione afflatus, fuerit odio tyrannico Carvalhii, fuerit flammis impiis addictus, atque devotus.

Et de re quidem tota, si velim paucis agere, mihi uno teste laudato apud bene in Ecclesia Catholica sentientes, omni, quod ajunt, exceptione majore, statim liceat perorare. Quo tu teste putas, mi Bolane? Non sane simili Ministris istis politicis, qui ferme fraude, ac malis artibus in

 calu-

calumnia eo tempore regnabant; non istis simili venditæ fidei Scriptoribus Diariis; qui jussi, subornati, empti frigidum, & calidum ex uno ore, atque eodem impuro, effutiebant: sed teste Clemente illo XIII. Pontifice & Maximo, & Sanctissimo, & sæpius publicé pro innocentia auso contra deceptos Reges, contra Purpuratos Satrapas, Regum deceptores, venire. Is enim, ubi de supplicio Malagridæ nuncius est Romam allatus, in maximo animi luctu, atque acerbissimo dolore, audientibus plurimis in ea verba prorupit: „ *Macta sis* demum novo Martyre, Christi Sanctissima Fides! tandem detracta larvá sese Lusitaniæ Tyrannum prodit *Carvalhius*. " (a)

§. LVII.

Quæsitorum Fidei jus omne & religiosum, & a Pontifice *profectum*.

SEd in causa optima nihil est, cur ad testimonium invictissimum Clementis omnia conferamus, maxime cum oppressa apertissimè per Tyrannum veritas, cum affecta crudeli supplicio innocentia, cum sacrilegum in modum, Malagridæ Sacerdotis violata Sanctitas, vocem ipsa pro

(a) Bona ratioc. in Præfat.

pro se nihilominus, quam ab initio Naturæ conditæ Abelis sanguis, impia manu effusus emittere velle videatur.

Dico itaque primum. In ea Malagridæ causa Quæsitores supposititios, Judices illegitimos sine auctoritate, sine ulla Juris specie vanam, ac sacrilegam capitis sententiam pronunciasse. Non multis equidem in eo morabor, quod nemo Catholicæ Communionis particeps, nemo non Fidei suspectæ, est unquam inficiatus, Jurisdictionem sacram, Potestatem religiosam, spiritualem Auctoritatem, ejus esse conditionis, quæ tota a Romano Pontifice velut a Capite profecta, iis modo rite conveniat, quibus ab illo legitime conferatur. Id quod Ordo Hierarchicus, Ordo Reipublicæ Christianæ, recta Ecclesiæ unius moderatio, constans, stabilisque Ecclesiastica Æconomia, & vi sua secum afferat, & ab ejus Auctore Deo, ac Servatore Jesu Christo acceperit.

Neque longiore opus est oratione, qua apertissimum omnibus fiat, quæstiones sacras in rebus spiritualibus, ac religiosis versatas, Jurisdictionem omnem non a Potestate civili, non a Jure Regio, non ab auctoritate profana posse habere: (nec enim sine errore profanum caput corpori religioso imponatur): sed jus omne & cognitionis exercendæ, & sententiæ ferendæ sa-

cros ejusmodi & Quæsitores, & Judices ab uno Romano Pontifice habere.

§. LVIII.

Jam inde a Paulo III. Pontifice Maximo ab uno Romano Pontifice creatur Supremus Fidei Quæsitor in *Lusitania*.

HIc non adeo Malagridæ Adversarium, satis certo scio, te, Bolane, profiteberis, ut ampliorem a me hujus rei confirmationem requiras: & tamen, ne tecum a me malignius agi suspicere, paucis Institutionem totam sacræ Quæstionis in Lusitania ab initio fac mecum memoria repetas. Paulus III. Pontifex Romanus ab Joanne III. Lusitaniæ Rege per litteras rogatus, illud Inquisitionis tribunal, illam ordinariam in rebus, causisque religiosis quæstionem constituit edita (a) ad eam rem Constitutione 3. idus Aprilis 1636. qua Judices modo Ecclesiasticos illi Quæsitorum vel Consilio, vel Collegio a se instituto, & præesse, & interesse præcipiebat; Res tota ex eo ferme tempore in hunc agi solita erat modum.

Rex

(a) Anecd. Ital. tom. II. pag. 240. Apud Dianam in summa v. Inquisitio num. 7.

Rex apud Pontificem Maximum, quem cupiat creari Supremum Fidei in Ditione Lusitana Quæsitorem: eum a se nominatum postulat. Pontifex vero Maximus per Decretum suum, in forma Brevis, eum ipsum a Rege sibi commendatum, siquidem tanto munere dignum habeat, ita creat Quæsitorem Supremum, ut una cum jurisdictione simul illi ipsi jus, & facultatem concedat, ut ipse sibi consentiente Rege, deinde minores alios Quæsitores (eos & *parvæ*, & *magnæ Mensæ* vocant) cooptet, quarum opera in iis causis, ac cognitionibus utatur, quorum etiam judicio sententiam & ordinariam, & extraordinariam pronunciet, ut altera Religionis violatæ reos brachio sæculari, sive civili potestati permittat; altera condemnatos triremibus, carceribus, pœnis aliis addicat.

At Breve Pontificium ejusmodi semper formula, conditione, clausula concipitur, ut ad *Beneplacitum* Pontificis Maximi circumscribatur, cum eo tamen, ne illa concessa Jurisdictio morte Pontificis expirat, in favorem scilicet Fidei. Quod si creatus Quæsitor vel diem supremum obeat, vel ea potestate abeat, denuo novus a Romano Pontifice eodem jure, ac formula renunciatur. In illo verò Quæsitoris Supremi vel justitio, vel interregno, omnis Jurisdictio Consilii vacat, nullam sententiam Ordinariam jure suo pronunciat.

§. LIX.

§. LIX.

Malagrida repente fingitur factus e Parricida Regio Sectarius *Hæreticus*.

VEnio nunc ad supplicium Malagridæ in Lusitania editum, ubi ille notissimus Evangelii Præco, fracta per Carnificem gula, flammis palam combustus, in cineres ferme totus redactus, dispersis per aera cineribus, immeritas pœnas dedit, in hæresiarcas a lege constitutas. Non dicam hoc loco Malagridam prius in carcerem non reis violatæ religionis destinatum; sed alium Junqueriæ a Carvalhio recenter ædificatum, ubi Jesû Socios plurimos concluderet, fuisse conjectum: ut satis, etiam inimicis Jesû Societatis vel ex hoc ipso pateat, nullam impietatis delationem, nullam violatæ Religionis existimationem, nullam suspicionem hæreseos in illum Jesû Socium, apud Lusitanos notissimum, prius cadere potuisse, quam in custodia Junqueriæ una cum aliis viris religiosis a Regio Ministro detruderetur; nec enim suspectæ Fidei, violatæque Religionis Malagridam non detulisset ad Quæsitores illos Carvalhius, neque delatum a Regio Ministro Malagridam non illi Quæsitores præendissent.

Hoc loco potius quæram a te, Bolane, cur Parricidii Regii conscius, atque adeo Auctor, Mala-

Malagrida, si Carvalhii dictis stare voles, aliquot jam annis post supplicium Lusitanorum Magnatum, repente indicio Carvalhii & impius, & fanaticus, & impostor, & Ariolus, & Vates falsarius, & Hæresiarca, etiam Junqueriæ in vinculis arctissimis, sit ad novam Quæsitorum Sacrorum custodiam traductus? Quæ res Carvalhium moverit, quare tam Calumniosé, tam insolenter, tam atrociter cum Malagrida agendum sibi putaret, paulo post aperiam; Nunc illud dico, tam patentem, tam manifestam, tam omnibus creditam Malagridæ, non dicam innocentiam, sed vitæ sanctitatem, sed morum integritatem, sed religiosæ disciplinæ sapientiam fuisse, ut eam neque criminis ullius Regi suspectam facere Carvalhius potuerit; cum omnes malitiæ machinas in eam calumniam sæpissime admovisset; neque sibi a legitimo Collegio, sive Consilio Quæsitorum Sacrorum, sit ausus antea polliceri, fore, ut delatus a se Malagrida, reus eorum judicio pronunciaretur.

§. LX.

Per Quæsitores Fidei perdendum Malagridam Carvalhius a Rege repulsus denuo *molitur*.

Ardebat ille quidem odio, cum in omnes alios Jesû Socios, quos licentiæ suæ infensos, quos

quos impunitatis suæ osores, quos tyrannidis suæ futuros aliquando eversores, si se daret occasio, assidue verebatur: tum vero furore, ac rabie in unum Malagridam tanto effrænatiore ferebatur, quanto, majorem ejus auctoritatem apud Regem, quanto constantiorem Sanctitatis famam apud Familiam Regiam totam esse videbat. In eo rerum statu quid acerrimus ille inimicorum ultor, quid impotentissimus in innocentissimos quosque homines tyrannus Carvalhius ageret? Regem semel, atque etiam, ac sæpius de supplicio Malagridæ frustra adierat, rursusque ab eo Malagridam, quem innocentem nefariè ulcisceretur, sibi tradi postularet, ut eum pro Parricida, pro conjurato, pro Artifice suppositæ a se factionis patriciæ extortum, atque excruciatum odio suo mactaret. At frustra sæpius id periclitatus, verebatur scilicet, ne a Rege denuo audiret „ *Malagridam* ejus criminis sibi non videri suspectum " Notam sibi hominis religiosissimi sanctitatem: Notam, atque adeo summopere probatam Joanni V. Patri suo fuisse sanctissimi Sacerdotis Religionem, & Sapientiam; spectatam Regiæ domui toti sic esse virtutem, ut monstri similis Carvalhii in Malagridam delatio & sibi, & aulæ toti *videatur*. (a)

An

(a) Bon. ratioc. in Præfat.

An vetus odium deponeret ita Carvalhius, ut ingenio suo plane fero, atque immani vindictam negaret? At inimico innocenti parcere, animum in vindictæ libidine frangere, non omnia suæ cupiditati parere, id vero extremum sibi ipse Carvalhius supplicium, morte ipsa gravius, ducebat. Quid ergo? Eò se contulit, quo tunc illa Juno Virgilianâ, *Flectere si Superos nequeo*, nosti cætera, mi Bolane; Ille verò secum cogitare: Elabatur ergo mihi Malagrida? Nullone ego pacto inimicissimum mihi hominem suspectum Regi faciam? Quid ita vero Rex illum famostum Sacerdotem, a me delatum tanto studio Parricidi crimine absolvit? Nunc demum intelligo: quid in Criminatione sit a me parum provisum scilicet nihil antiquius mihi esse ab initio debuisset, quam ut Malagridæ Sanctitati, priusquam parricidium objicerem, umbram aliquam offunderem, maculam opinioni optimæ aspergerem. Prædicerem hominem fronte, ac vultu religiosissimum intus, & in cute perditum, Religionis violatæ Reum, fidei bonæ proditorem, hæreticis erroribus imbutum: Nimirum pro sua fide, ac Religionis amore mihi volenti dedisset Rex, ut Quæsitoribus sacris causam suspecti Sacerdotis, male de dogmate Catholico fortasse sentientis, examinandum traderet.

Atqui eodem revolverer; nec enim in illo Quæ-

sitorum non dicam integerrimo, sed pervicaci; ac fanatico Consilio ullus mihi esset probandæ Causæ meæ locus. Ita sane: non enim, opinor, Supremus iste, qui cœteris Judicibus præest. Quæsitor, Regis Frater, Josephus Braganza, qui integerrimus & Censor, & æqui, justique tenacissimus volet videri, offucias sibi fieri ullas passus judicium in Malagridam feret id, quo lato mihi sit opus in Malagridam. Video mihi undique repagula objecta, ne pro arbitrio meo inimicum Sacerdotem ulciscar. Quid? Non omnia ego impedimenta vindictæ amovero? Qui sanguine patricio oculos meos ad odii Satietatem paverim, Ego Carvalhius non ferro Sacerdotem Jesu Socium, non flammis, non exquisito cruciatu Malagridam persequar? Non licebit statim pœnas ab inimico repetere, non licebit illico Quæsitores mihi Conciliare. Esto; detur mora vindictæ, licebit eos paulatim ab eo consilio removere, licebit Collegio toti alium Quæsitorem Supremum præficere: licebit Judices & Magnæ & parvæ Mensæ mihi morigeros sufficere. (a)

§. LXI.

(a) Parva Mensa primum judicat; Magna in eo eventu, quod Reus illam appellet, v. Bon. Ratioc. pag. 55.

§. LXI.

Prima Carvalhii Criminatio in Quæsitorem Supremum in Causa Veneficæ Ancillæ *suæ*.

HÆc verò diu multumque Secum Carvalhius opinor, meditatus, Consilium cœpit novæ Questionis fidei in Lusitania instituendæ. Primum omnium constituit, Quæsitorem illum Supremum Josephum Braganza malis artibus aggredi, si forte posset illum Regis in offensionem adductum, de gradu Supremi Quæsitoris deturbare. Erat apud Carvalhium Ancilla quædam (*a*) ex Ethiopia. Ea pro Venefica ad Quæsitorem delata, non sine multis, suspiciosisque magicæ fraudis argumentis, fuerat; neque a vero delatio tota abhorrere videbatur. Veneficam illam, nigerrimam Sagam, quæ esset Carvalhio Tyranno satis cordi, fuisse, mihi neutiquam pro certo ponetur. Illud dicam, pro jure quidem suo Supremum Fidei Quæsitorem capiendam Ancillam, veneficii nomine ad se delatam, præcipere aut debuisse, aut certe recte atque ordine potuisse. At dici vix potest, quam inpotenter pro Venefica adversus Regis Fratrem, quam insolenter

(*a*) Anec. Ital. t. I. pag. 34.

pro Ethiope Ancilla adversus Quæsitorem Supremum Fidei Carvalhius venerit; qui non dubitaverit Regiam auctoritatem, regium imperium, ne Ancilla ex Ethiopia prehenderetur, palam Quæsitori objicere. Neque vero cuiquam fuit in Lusitania dubium, quin apud Regem non valde bona in gratia ejus Fratrem Ancillæ Causa Carvalhius posuerit.

Idem, cum novam Occasionem quæreret, per quam Regis animum a Fratre abalienaret, cœpit vehementer cum Quæsitore Braganza agere, ut is Collegio Quæsitorum allegeret Paulum Carvalhium germanum illum quidem Fratrem suum, sed eo ingenii (a) stupore, ac tarditate, ut quotidie os efferret ad irrisionem Canonicis in Patriarchali Ecclesia, quorum Collegio fuerat Ministri Regii gratia ascriptus. Quam præviderat Carvalhius, repulsam a Quæsitore nactus cum fuisset, denuo de Quæsitoris injuria sibi facta apud Regem conquerebatur. Quare duo sibi Comoda procurabat: Alterum, ut animum Regis magis a Quæsitore ejus Fratre abalienaret: Alterum, ut viam jam tum præmuniret, ut, cum opus esset, Paulum illum Fratrem suum paulo post Collegio Quæsitorum beneficio Regis præficeret.

§. LXII.

(a) In vita P. Corr. p. 242.

§. LXII.

Altera Carvalhii Criminatio in Quæsitorem quod is malam notaret *doctrinam*.

At opinatus Carvalhius, se per occultos istos Cuniculos hactenus profecisse parum, ad Quæsitoris Braganzæ perniciem maturandam; propius cœpit, atque audacius machinas in hominem admovere: Dat negotium Scriptori cuidam (*a*) partium suarum (quale genus in Lusitania sub auspiciis Carvalhii in dies singulos magis, magisque invalescebant), ut librum de Potestate Regia politico stilo compositum, sibi primo quoque tempore nuncupet. Non pauca in eo Errata recoquenda de sententia Carvalhii Scriptor mali commatis curaverat, quæ Sanctæ Sedis Majestatem turpiter impeterent, Romanæque Ecclesiæ ita jura omnia violarent, ut censuram Quæsitoris Supremi effugere, nisi prodito ab eo officio, ac fide conscientiæ neglecta, non possent.

Dat Carvalhius Quæsitori Supremo in manum exaratum calamo librum. Negat vero Quæsitor Scriptori veniam typis vulgandi scripti, nisi multæ ejus sententiæ prius retractatæ corrigantur, quæ

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 68.

quæ adversa fronte in Jura Pontificia incurrant: Ad speciem iratus, revera in sinu lætus, Carvalhius, quod locum esset nactus Regis animi in Quæsitorem exulcerandi; multa apud Regem de ejus Fratre conquestus, facile illi persuadet, Braganzam, Nobilitatis Lusitanæ plus æquo Studiosum, & male esse in Regem animatum.

§. LXIII.

Tertia Carvalhii Criminatio in Quæsitorem, quod is non damnaret pro impia Doctrinam *Jesuitarum*.

AT non ita multo post arietem muro, quod ajunt, admovet Carvalhius, usus opera Religiosi cujusdam Calumniatoris, qui commentarium ediderat famosum eo titulo *Errores impii Jesuitarum* (a) Hunc librum Quæsitori tradit Carvalhius, ac nomine Regio præcipit, ut ille publico Edicto librum condemnet. Quæsitor facili negotio fraudem, & calumniam totam contemplatus, cum suppositos ab malevolo Scriptore Jesuitis eos videret errores, quos Jesu Societas nusquam gentium docuisset (cum ibi vel Torrecillam, bene barbatum Fratrem, Jesuitam fuisse

(a) Anecd. Ital. t. I, p. 263.

se palam mentiretur; cum plura etiam falsa testimonia quam quot ante commenti fuissent, Concina, aliique ejusdem farinæ Fictores, Jesuitis Scriptoribus affingeret) eam cœpit viam decernendi mediam, ut, nulla Jesu Sociorum mentione facta, nulla Jesu Societatis doctrina reprobata, Edicto publico 2. Maji 1759. eos errores a se notatos teneri sub pœna excomunicationis a quoquam in Lusitania prohiberet; ut præterea si quis eos probari a quopiam sciret, intra mensem hominis Nomen ad se deferet. (a)

§. LXIV.

Supremus Quæsitor a Clemente XIII. non obtinet, ut se Præfectura Sacra *abdicet*.

NOn erat profecto ita Carvalhianarum fraudum Quæsitor ignarus, ut, quo Carvalhii dolus, quo Criminatio, quo artificium, quo calumnia tota pertineret, plane tanquam ea, quæ oculis cernuntur, non aspiceret. Itaque sponte ab eo honore decrevit abire, a quo per malitiam brevi se deturbatum iri per Regium Ministrum intel-

(a) Compend. histor. Expuls. Jesuit. a Lusitania p. 122. & Anecd. Ital. t. I. p. 179.

intelligeret. Itaque a Clemente XIII. per litteras Quæsitor magnopere petit, ut sibi bona ejus venia liceat, ea quæstionis sacræ Præfectura sese abdicare: Malle enim ipsum se in ordinem ultro cogere, quam committere, ut temporum iniquitate invitus a fide conscientiæ suæ discedat.

At Clemens, qui sibi omnia ab ingenio Quæsitoris, a virtute, ac constantia toties spectata polliceretur, & si hominis sortem, ac conditionem, Ministro, vel Tyranno potius, Lusitaniæ Carvalhio, valde miseraretur; christianæ Reipublicæ Causa, cujus maxime interesset, eo tempore constantissimum, atque integerrimum virum quæstionibus sacris præesse respondit: *Sibi minime placere cum Magisterio Collegii Quæsitorii abire*. (a)

§. XV.

Quæsitorem Braganzam pro Conscio Parricidii Regii Carvalhius liberæ tradit Excalceatorum custodiæ Busaci.

AT Carvalhius, non ignarus scilicet Clementem Quæsitori in abicanda Præfectura morem gerere recusasse, extremam jam sibi aleam ja-

(a) Anecd. Ital. t. 2. p. 241.

jaciendam; qua certe eum perderet, constituit. Rem totam Regi exponit: Braganzam prius invito Rege Errores impios Jesuitarum, quos sine Jesuitarum nota condemnasset, dissimulare voluisse: Nuper Clementem, coitione cum Jesuitis in Regem inita, ratam non habuisse Quæsitoris abdicationem, quam ipse ad tegendam conjurationem dicis causa postulasset. Se cum sæpe quidem antea conjecisse, nunc demum plane jam comperisse, conscium (a) Parricidii & Jesuitis, & Magnatibus Lusitanis Braganzam Quæsitorem cum Principe Serenissimo Antonio ejus Fratre fuisse.

Quid verbis opus est? Rex sive quod Ministro suo fidem in eo haberet, sive quod ejus artibus esset effectum, ut omnia sibi Rex a suis potissimum timeret, & Josephum, & Antonium Braganzam fratres suos, liberæ custodiæ tradendos decernit apud Excalceatos Carmelitanos Busaci, in domo maxime ab hominum frequentia deserta. (b)

§. LXVI.

Carvalhius removet a Consilio Quæsitorum Franciscum a S. Thoma virum *integerrimum*.

QUi vero in Regiam etiam Familiam omnia ad perniciem ausus esset, idem illico Carvalhius

(a) Bon. Ratioc pag. 69.

Jhius omnia posse se ad salutem, ad honorem etiam Suorum obtinere constituit. Vix solum exilii Causa Josephus Braganza verterat, cum Paulus ille Carvalhius, omnium Lusitanorum Sacerdotum Stolidissimus, Quæsitoribus Sacris sine Romani Pontificis venia, sine litteris Apostolicis, sine ulla juris reverentia contra fas, & jus omne jubetur a Regio Ministro præesse. Nemo erat apud Lusitanos quin ab audacia, ab impotentia, ab immanitate novi Sejani monstri aliquid timeret, per suppositum Fidei Quæsitorem brevi tempore edendi.

. Sed nondum sibi satis Carvalhius in eo consilio placebat: ibi enim inter Quæsitores Vir erat quidam egregius Dominicani Ordinis Religiosus, doctrinæ, probitatis, sanctitatis gloria conspicuus, (a) Franciscus a S. Thoma, qui tertius in eo consilio, quasi Cato, nihil dubitaret, contra cupiditatem Carvalhii sententiam liberrimé ferre. Ergo Franciscum per speciem novi honoris ad Angolanos Carvalhius relegat, ubi eam regeret pro Episcopo Ecclesiam, a qua proprius Episcopus, Emmanuel a S. Agnete Theresianus, in Brasiliam, jussu unius Carvalhii, sine venia Pontificis Summi emigraverat; omnino coactus in Ecclesia S. Salvatoris legitimo Archiepiscopo Josepho Bottelio, per vim a Sede sua depulso, succedere.

§. LXVII.

(a) Bon. Ratioc. pag. 173. & pag. 69.

§. LXVII.

Carvalhius novos Quæstioni Sacræ ferme omnes allegit Judices sibi *Morigeros*.

Ergo in locum Dominicani Quæsitoris Religiosissimi, Dominicanum alterum Fratrem, & seditiosum in Ordine suo, & ante jam ab uno Carvalhio Priorem Lusitaniæ (*a*) totius Generalem non legitime Creatum, & in Vinario illo Monopolio ad Durium Procuratorem, Propolam, Exactorem Portorii Carvalhiani renunciatum, Joannem Mansilham, Quæsitorem suffecit.

Neque his mutationibus Carvalhius contentus, novos præterea dedit Consilio illi suo Quæsitorio quatuor Consiliarios, quos suarum partium fore in sententia ferenda optime intelligeret; cum unum dumtaxat e priore Collegio retinendum judicasset Nunnium Alvarezium Pereiram; (*b*) cui non sane generis Nobilitas apud illum Tyrannum, Carnificemque Magnatum Lusitanorum, sed vitæ fœdissimæ projecta libido favorem a Carvalhio conciliaverat. Videbat enim Carvalhius illum Jacobi Cadavalensis Ducis nothum quidem Filium, sed a Patre pro suo habitum, quamvis in Col-

(*a*) Animadv. 6. ad Vitam P. Corteæ, pag. 243.
(*a*) Bon. Ratioc. pag. 16.

legio Eborensi Societatis Jesu doctoratus laurea Academica donatum, non posse tamen non esse Jesu Sociis inimicissimum, cum ad extremum a moribus turpissimis se totum, abjecto omni pudore, palam addixisset.

§. LXVIII.

Carvalhius Nuncium Pontificium a Lusitania injuriose *expellit*.

HActenus res tota satis ex animi Sententia Carvalhio procedere videbatur, ut contra Malagridam non jam in consilio Quæsitorum Judices pararet, sed certos, ac crudeles etiam Carnifices tyrannico suffragio armaret. At unus illi reliquus erat scrupulus qui vel ejus furorem in Malagridam reprimeret, vel potius in Nuncium Pontificium Acciajolium totum converteret; de quo alterum jam compertum habebat, ejus opera Clementem XIII. de Collegio Quæsitorum Fidei præter leges immutato, factum fuisse certiorem; alterum vero sibi metuebat, ne Nuncius jussu Pontificis ita sententiæ intrusorum male Quæsitorum intercederet, ut palam omnibus notum esset, illud contra omnia jura Ecclesiastica institutum a Carvalhio consilium, omni in Causis Ecclesiasticis suffragio penitus carere, quæstionemque totam

tam Fidei ab una Romani Pontificis voluntate auctoritatem, vimque suam obtinere debere.

Sed nihil erat tam sacrum, quod non violare, nihil tam nefarium, quod non suscipere, nihil tam arduum, quod non perficere & auderet, & volens, libensque Carvalhius soleret. Unum ergo ille remedium illi malo videbat, si Nuncium a Lusitania tota, quovis colore, per voluntatem Regis posset expellere. Colorem illico pro renata quæsitum invenit VII. Jdus Junias anno 1760. Regiæ Ulyssipone Nuptiæ cum Regis filia, natu maxima, Regni hæres, Maria Francisca nuberet Petro Regis Fratri, magno apparatu de more celebrabantur: tametsi illud expectatum Lusitanis Matrimonii fœdus frustra sæpe disturbare (a) Carvalhius idcirco curasset, quod & studiosum Jesu Societatis Principem Petrum cognovisset, & a se summopere alienum esse suspicaretur.

Itaque in eo Regiarum Nuptiarum apparatu, cum de more per Codicillos omnes Principum exterorum Oratores, Legatosque Carvalhius de re tota fecisset certiores; de industria præteritum voluit Nuncium Pontificium, ad quem codicillos mitti severe prohibuit; ratus scilicet fore, ut factam Romano Pontifici in ea præteritione injuriam Nuncius non dissimularet, quod profecto accidit. (a) Nam

(a) Anecd. Ital. t. I. pag.
(a) Animadv. 8. Vitam P. Correæ p. 283.

Nam Acciajolius, re, ac dolo malo Carvalhii cognitis, primum dabat operam, ut Carvalhium ab injurioso illo Consilio deduceret. Re frustra tentata, cum festis funalibus de more domum suam ea Nuptiarum nocte non ornare illa præterisione cogeretur, causa Consilii sui ad Principem Petrum deferendam per duos Magnates, alterum Comitem a S. Laurentio, alterum Vicecomitem Pontelimanum curavit, quibus internunciis & Principi satis faciebat, & dolorem justum a tanta Carvalhii vel contumelia, vel injuria significabat. (*a*)

Nihil in ea Acciajolii Nuncii expostulatione erat, quod non aliis omnibus, maxime vero Petro Principi, justissimum, atque æquissimum videretur. At Carvalhius, qui malitiose in eam necessitatem Nuncium conjecisset, satis sibi visus est in ea illius expostulatione habere Causæ, cur apud Regem novam conjurationem a se compertam diceret; Nuncium enim Pontificium denuo cum illis Proceribus, qui Principem Petrum ejus nomine convenissent, in Regiam Personam fraudis aliquid moliri. Quid pluribus est opus? Die 16. Junii 1760. Nuncius ille Pontificius edicto Regis non modo a Lusitania abire jussus, sed vi, manuque armata per Summum dedecus expulsus fuit

(*a*) Animad. VIII. ad vitam P. Correæ. p. 183.

fuit cum summa totius Christiani Nominis indignatione (*a*) Nam apud omnes Gentes & Majestatem Pontificiam indignissime deprimi, & jus Gentium a Carvalhii atrocitate nefarie violari boni omnes conquerebantur.

At ille Sejanus per eam Contumeliam ejecisse Nuncium supra modum lætatus, illico furorem suum, moræ in ulciscendo nescium, in duos illos Viros nobilissimos, Comitem S. Laurentii & Vicecomitem Pontelimanum, Nuncii ad Principem Petrum Interpetres, convertit; quos pro manifesti læsæ Majestatis Reis in durissimos Carceres conjecit.

§. LXVIIII.

Collegio illegitimo Quæsitorum Nullum jus erat in Causa *Malagridæ*.

POssem hic tibi multa, mi Bolane, commemorare, quibus eo te facile adducerem, ut omnia a Carvalhio per ea tempora gesta ad unam innocentiæ oppressionem pertinuisse, non invitus mihi concederes; tamen simplici rei totius narratione usus, (simplex est enim veritatis oratio) malo causam Malagridæ & tuo, & prudentissimo cu-

(*a*) Anecd. Ital tom. 2. pag. 231.

cujusque judicio relinquere. Redeo ergo ad id, quod initio (*a*) de Quæsitorum mutandorum Consilio, deque jure nullo sententiæ ferendæ significabam.

Cum jam sibi ad libidinem suam Carvalhius parata videret, ea omnia, quibus Malagridæ Regii Parricidii personam ad Hæresiarchæ fabulam repente converteret; ineunte Mense Majo 1761. jubet, (*b*) hominem una cum Petro Hommesi, ejus Socio Religioso, e carcere Junqueriæ in Carcerem S. Officii exportari: Et paulo quidem post Acta ipsa, a Quæstioribus illis Carvalhianæ perfidiæ, non fidei Catholicæ in Malagridam confecta, atque a me in medium prolata, non hæreticum, non planum, non hipocritam fuisse Malagridam, non fanaticum, non fictum ostendent; Sed Carvalhium delatorem tyrannicum, Judices Carvalhianæ Calumniæ Subscriptores, crudelitatis Ministros fuisse, necessario evincent.

Nunc illud ex nova Consilii totius commutatione contendo: Non illum fuisse judicium, sed latrocinium, non legitimam in malagridam sententiam, sed crudele Regii Scribæ imperium, non nocentis hominis condemnationem, sed Innocentiæ, Religionis, Sanctitatis manifestam oppressionem. Quid? Sine Supremo Fidei Quæsitore ali-

(*a*) pag. 211.

aliquod est ne Jus Consilio sententiæ ferendæ? Non eo tempore legitimus Quæsitorum Præses Braganza exulabat? Non pro Supremo fidei Quæsitore, a Romano Pontifice legitime creato, præsidebat injuriose Collegio toti Paulus ille Carvalhius, a Fratre suo contra jura omnia, contra voluntatem Clementis XIII. pertinaciter nominatus? Non illi minores Quæsitores, illi Magnæ, parvæque Mensæ Judices, Mansilla (excepto uno Nunnio Alvarezio Pereira) & Assessores alii, sublestæ fidei homines, sine jure suffragii, sine Jure cognitionis, sine ulla catholicæ Communionis ratione (a) ex libidine Carvalhii, qui unus esset & Accusator, & Testis, & Actorum Confector, & causæ totius Actor, præscriptam Sententiam pronunciarent, qua odio Tyranni in Jesu Socium innocentissimum fœdissimé lenocinarentur?

§. LXX.

Biennio Conclusum in Carcere Junqueriæ Malagridam in vincula S. Officii detrudit *Carvalhius*,

SEd abeo a Consilio Quæsitorum Acephalo; abnormi, temerario, Carvalhiano, nullo; ad

(a) Adnot. XIV. *Per ea tempora*.

Acta eorum, nomine tenus fidei Lusitanæ Inquisitorum venio, ex quibus in Causa Malagridæ per Carvalhium ipsum compositis, atque vulgatis, denuo illud ipsum omnibus ex longo intervallo manifestissime constet, quod jam communi Europæ judicio recenti re tota, ubique pro comperto valebat; Malagridam per summam injuriam pro hæretico fuisse in Lusitania odio Carvalhii addictum, atque devotum.

Primum omnium eam fuisse de Malagrida publicam apud Lnsitanos omnes opinionem, ne Carvalhiani quidem Quæsitores inficiantur, ut nemo per totos quadraginta annos de illius religione, nemo de illius pietate, nemo de præstanti Sapientia dubitavisset. Eum Americani Apostolum, eum Lusitani Oratorem Sacrum, eum populus Jesu Socium egregium, eum Nobilitas tota Præconem veritatis assiduum, eum Aula ipsa Regia Sanctissimum Sacerdotem semper fuerat venerata, (*a*) ex actis ipsorum illorum Quæsitorum. At aliter visum fuit de repente Censori, ac Præfecto morum integerrimo, si Superis placet, Carvalhio novo Lusitaniæ Sejano. Pridie enim Idus Januarias anni 1759. pro Reo Parricidii, plane fictitii, illum in carcerem Inqueriæ conjecerat, in eas ipsas caveas in quibus Re-

(*a*) In Præfat. lib. cui titul, Bon. Ratioc. & p. 8.

Regiæ feræ ante terremotum solitæ fuerant asservari. At feris, ne fortasse, dum terra tremeret, solutæ stragem in populum novam ederent, jussu Regio interfectis; ibidem fora, cellas, subterraneos specus fabricata, Jesu Sociis asservandis, Carvalhiana fuerat immanitas. (a)

Furebat vero odio: ardebat iracundia Carvalhius, quod Malagridam duos jam annos judicio, atque studio suo, supplicio Parricidarum teterrimo addictum, per Regem sibi non licuisset, publico exemplo excarnificatum e vita tollere. Ecce vero tibi ineunte mense Majo anni 1761. cum nemo nomen Malagridæ ad Quæsitores detulisset, nulla in miserum Sacerdotem, tenebris Junquerianis adictum, probabilis suspicio orta esset, nullum vestigium ullius criminis denuo apparuisset; frustrata denique Carvalhium ipsum, clanculum in eum omnia mentientem, calumnia fuisset, a Carcere Junqueriæ in Carcerem Inquisitionis Malagrida una cum Petro Hommesio ejus socio abripitur.

(a) V. Animadv. 8. ad vit. P. Correæ, p. 257.
(b) Anecd. Ital. tom. II. pag. 245.

§. LXXI.

Per excucullatum Fratrem Norbertum (*a*) ex scriptis Malagridæ calumniam novam Carvalhius *orditur*.

QUæras tu fortasse, mi Bolane, quæ mala tandem mens repente Carvalhium impulerit, ut Parricidii suppositi Reum Sacerdotem e Carcere in Carcerem, e quæstione civili in quæstionem Sacram abduceret? Res ipsa, si quæris, indicio fuit, quo tandem animo captum jam innocentem Malagridam capiendum denuo procurarit. Ille quidem nullis ante argumentis colorem aliquem Parricidii Malagridæ afferre potuerat; argumentis saltem fallacibus sibi ad inimici perniciem opus esse videbat; scripta, monumenta, suspiciones denuo quærebat, quibus & Regi, & Aulæ, & Ulyssiponi, & Lusitaniæ toti fucum aliquem faceret, quo maleficia, a se in Malagridam malitiosè divulgata, fierent credibiliora.

Sic enim ille secum: operam frustra jam dudum ludimus, sine nova fallacia nihil agemus: Atqui vix fieri posse, video quin per longius duorum annorum spatium quidpiam sit de scripto commentatus, saltem animi fanatici causa, inimi-

(*a*) Anecd. Ital. tom. II. pag. 145.

inimicus Malagrida quin ejus ego commentaria de repente intercipiam? his, quibuscumque enim Commentariis, quæ meo libitum fuerit animo, argumenta omnia invenero. Quid enim? Non ego huc Norbertum istum meum (*a*), qui equovis ligno mihi mercurium exculpet, accersivi? Non ille harum artium peritissimus mihi fidem obligavit suam (sed mitto, fidem Fratris excucullati fuste sapere docebo), sese mei honoris causa facta, infecta, fanda, nefanda in vulgus editurum? Malum autem raso Capuccino Fratri; nisi pro stipendio annuo, quod ego ipsi constitui septingentorum viginti scutatorum (*b*) (tanta enim pecunia egebat, ut binas (*c*) illas mulieres, quas vitæ socias, atque Amicas abduxit, aleret) gratiam retulerit, in Malagrida meo more ex ejus scriptis exculpendo hæretico. Quid? si vel nulla scripta confecerit in carcere Juncheriano, vel confecta ibi scripta ita Malagrida supprimat, ut a me inter capiendum de repente hominem intercipi illa non possint? Abi sis, sive confecerit sive non confecerit ilie scripta; multa Norbertus scripta Malagridæ a me accipiet, ex quibus mihi in eo hæresiarcham describat. (*d*)

§. LXXII.

(*a*) Adnot. XV. *Insignem.*
(*b*) v. Animadv. 3. ad Vitam P. Correæ p. 229.
(*c*) Anecd. Ital tom. II. p. 246.
(*d*) Animadv. 3. ad vitam P. Correæ pag. 211. & 217.

§. LXXII.

Acta in Causa Malagridæ ex perfidia & Norberti, & Mansilhæ *conscripta*.

HÆc secum meditatus Carvalhius summo triumphare gaudio, ubi vidit, nonnulla monumenta, manu Malagridæ in eo carcere composita, ad se deferri. Sine mora, Theologum illum suum, Norbertum, quem novisset ita in calumniando exercitatum, ut historiam bene longam Missionum Orientalium in Jesu Societatem, totam ex dolo, totam ex fraude, totam ex mendacio, ex odio, & livore conflasset, ad se vocat: hominem facili negotio malitiam suam edocet; ex illis monumentis Collectionem Assertionum impiarum & posse facile confici ostendit, & omnino confici ab eo pro imperio jubet: Illud enim vero erat, quod ajunt, aut currentem jam incitare, aut lydum inplanitiem provocare.

Dictum ac factum: Norbertus non ex scriptis quidem & sanis, & piis, & cordatis, (cujusmodi Malagridæ fuisse paulo post apparebit,) sed ex putido illo, atque vecordi sinu suo monstra colligit opinionum earum, vel quas Carvalhius ante indicarat sibi placituras, vel quas ipse Norbertus, qui odium Tyranni novisset, Carvalhio placiturus ad perniciem innocentiæ facile conjecerat.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

In Actis judicialibus Tria data crimina Malagridæ *Insonti*.

HAbes jam, mi Bolane, illarum Assertionum impiarum Auctorem: At qualem, Deus bone! Instituti Sanctissimi turpissimum proditorem e Missionario Indiano Londini Negotiatorem, e Negotiatore Britannico (duarum (*a*) fœminarum usurario Marito) Abbatem illum Platellium, Carvalhii Ministri in Lusitania parasitum. Ergo Acta judicialia, ex illa Delatoris perfidi collectione in Malagridam confecta, si placet, mi Bolane, in judicium, odio, atque amore liberum, ac vacuum, secernas. Confecta enim, & vulgata sunt in Malagridam Acta.

Non quæro jam, utrum a Carvalhio ipso & accusatore, & teste, & judices primario, ne dicam unico, totius illius causæ sint confecta an jussu ipsius sint a Mansilha composita in Vinario monopolio Carvalhiano & magistro, & Procuratore, & famoso deinde Quæstionis fidei disceptatore. Sunt quidem certe una Carvalhii voluntate Acta illa in vulgus edita, quod non si-

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 27. Hibenensium, & Anecd. Ital. tom 2. pag. 246.

sine singulari Providentis Dei consilio factnm boni omnes arbitrabantur, quo clarius ex illis ipsis appareret, nulli eorum criminum obnoxium fuisse Malagridam, quæ & jure probata, & extremo supplicio digna, falsi illi Quæsitores calumniabantur.

Ergo in illa re, causaque Malagridæ judicata, & in vulgus ad Paragraphos octoginta septem edita, (*a*) a justissimis illis illegitimæ Quæstionis Carvalhianis judicibus, tria in Malagridam pro compertis posita sunt. Primum: Malagridam certorum esse liberculorum Scriptorem, in quibus quamplurimæ sint hæreticæ Opinationes. Alterum: Eas ipsas hæreticas Opinationes mordicus, ac contumacius Malagridam asservisse pro suis. Tertium: *Præstigiis* non modo *Illusum* fuisse diabolicis fanaticum Malagridam, sed fuco etiam Sanctioris vitæ *Illusorem* alliorum fuisse.

§. LXXIV.

Non *constat* ex *Actis* Causæ *Malagridianæ*, *legitima* scripta *Malagridæ Judicibus fuisse proposita*.

EGo vero ex *Actis* ipsis editis, nullum illorum criminum jure excussum, nullum rectè explora-

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 144.

ploratum, nullum revera compertum fuisse, contendo. Quid enim nobis Scriptor illorum narrat Actorum Judicialium? A Quæsitoribus, ait, Carvalhianis in jus vocatum fuisse Malagridam, ut de duobus opuscolis coram illis rogatus redderet rationem. Quæ esse porro nobis narrat illa opuscula duo, a Malagrida confecta; in quibus ea esse monstra opinionum, Quæsitores arguerent, quæ in *Collectione Impiarum Positionum* excucullatus Norbertus ex abundantia cordis evomuisset. Alterum: *Commentarium vitæ S. Annæ*, Lusitanicè scriptum: Alterum: *Historia Imperii Antichristi*, latinè.

Hìc statim ipse per te, mi Bolane, vides, quam ego tute, quam etiam solide triumphare oratio mea posset, si vellem ea opuscula negare a Malagrida omnino fuisse scripta; (a) Nam quis demum præter Accusatores ipsos ejusmodi scripta vidisse testatur? Quis ea non fraude mala Carvalhii; qui Judicium totum, qui Collegium Quæsitorum ad arbitrium suum præparasset, supposita fuisse Malagridæ, nobis est auctor fide dignus? Certe ea apud omnes Lusitanos opinio eo tempore valebat, a Fratre illo Norberto confictam Historiam Antichristi, Malagridæ Auctori ab illo falsario nobili fuisse subditam, subjectam, suppositam, subscriptam.

(a) Bon. Ratioc. pag. 17.

Verum *Actis ipsis*, confessioni quidem certè Malagridæ, id interea credamus, bina opuscula quædam iis de rebus in carcere Junqueriæ fuisse ab illo composita. Quid tum postea? Si maxime iis de rebus pie commentatus erat Malagrida, idcirco Norbertus nihil calumniæ in Malagridam commentus, nihil fraudis in Judices machinatus, nihil ultro mendacii, nihil sponte calumniæ, nihil de more criminationis, in illa impia Collectione sua erat fabricatus?

§. LXXV.

Quæsitoribus vitiosis sine juris *ulla dictione Malagrida respondere non recusat*.

SEd jam video, me velle fortasse severius æquo cum iis Quæsitoribus agere, qui Carvalhianæ perfidiæ potius Ministri, quam Christianæ Fidei essent in abnormi illo Collegio Judices. Rogarent illi, ut libuerit, aut uti per Carvalhium ipsis licuerit, præsentem Reum Malagridam. Audiamus tandem quid respondisse dicatur reus innocentissimus Malagrida.

Equidem cum acta lego, multos illud miraturos suspicor, quid secutus Malagrida, in eo consessu plane illegitimo non potius exceptione legitima, quam causæ ulla dictione voluerit uti.

Non

Non ille Concilium Quæsitorum sine jurisdictione, sine auctoritate, sine facultate, absente Pontificio, ac Supremo Quæsitore Fidei Braganza, præsidente Paulo Carvalhio Carvalhiano delatore, consedisse videbat? Non adulterata jura, non corrupta instrumenta, non vitiata omnia in eo ad speciem judicio ad rei veritatem latrocinio, intelligebat? Hæc omnia, alia etiam plura ad perniciem suam, ad innocentiæ oppressionem, ad virtutis condemnationem parata, facta, instructa a Carvalhio & videbat, & intelligebat, & manibus ipsis Malagrida tenebat; & tamen vocatus in judicium, tot nominibus nullum; causam pro se Malagrida dicendam arbitrabatur. Nihil sane ante causæ dictionem pro se excipiebat, secutus illud Hieronymi consilium (a) ,, Nolo in suspicione hæreses quemquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam, ejus dissimulatio conscientia judicetur, si taceat. "

Ergo Reus ab iis cuicuimodi Quæsitoribus insimulatus earum opinionum, quæ in collectione Nobertiana coram essent recitatæ; sic Malagrida, qua erat erga omnes comitate, Christiana & reverentia, & charitate respondit; ut facile appareret, ipsum potius reum conditionem Judicum suorum, quam sui ipsius sortem dolere, quos

(a) Epist. 61. ad Pammach.

a Carvalhio videret in eum adductos jam esse locum, ut sine summo ipsorum malo non possent, non dicam Norberto Calumniatori ex scripto non credere, sed tacitam tyranni Ministri crudelitatem in se ipsos non exhorrescere quin sua etiam Religio, & Fides, Malagridam monebat, ut duo illa manu sua scripta innocentissima esse affirmaret, & objecta sibi crimina ex mentita illa *Collectionis Norbertinæ* summa, apertissime refutaret.

§. LXXVI.

Bis respondet Malagrida illa duo Manuscripta & sua, & proba esse.

AT primo quidem rogatus; ut de vita S. Annæ diceret, respondit illico Malagrida, ut cuivis patet. Ex *Actis Judicialibus* (§. 47.) (a) „ Divino se instinctu, in præsentia duci, ut profiteretur, *Se* Vitam Sanctæ Annæ scribere instituisse: eamque *Scriptionem* de sententia Socii cujusdam ejusdemque Confessarii (Petri Hommesiii e Societate Jesu in vinculis Junqueriæ) suscepisse. Confessarius enim ille meus omnino ratus (ajebat Malagrida) mihi eam mentem piam intus

(a) Bona Ratioc. pag. 120.

intus a Deo datam, non solum in ea opera & suscipienda, & prosequenda consilium probabat meum; sed etiam, consultis nonnullis ejusdem Societatis nostræ Viris doctioribus, eam ipsum manu sua exscribere voluerat. Illos tamen Socios consultos censuisse, dicebat, moderanda verba quædam in ea scriptione, quæ non satis obsequiosa Majestati ad speciem possent videri. "

Habes hic, mi Bolane, Malagridam *sese* professum *Scriptorem* Vitæ S. Annæ: ne verbum quidem unum fecisse de Collectione Norbertiana. Habes illum aperte confirmantem, Ipsum quidem *Auctographum* sua confectum manu; Exemplum vero illius Vitæ manu Socii, & Confessarii aliena exscriptum fuisse. Habes ex ejusdem confessione, totius *Scripti* sui *Censores*, & *Correctores* alios Jesu Socios in carcere Junqueriæ fuisse. Nam in hac prima Responsione Malagrida digitum eò intendere volebat, unde calumniam Norbertinæ Collectionis Judices ipsi facillime discerent.

Atque hæc magnopere velim memoria tua, mi Bolane, tantisper retineas, dum ego recitare tibi pergo ex illa re judicata; alteram Malagridæ ejusmodi Responsionem, ex qua luce clarior innocentia illius tibi suboriatur. Itaque interrogatus Malagrida de *duobus* illis commentariis suis, de Vita S. Annæ: de *Historia Antichristi*, cujusmodi doctrinam judicio suo continerent, respondisse,

disse, dicitur, id quod apparet ex Actis judicialibus (§. 62.) (a) „ Ea duo scripta sibi videri, ad substantiam quod attinet, ac veritatem sententiarum, divina, in quibus levioris notæ, errores quidem irrepsissent pauci; quos quidam tamen e Sociis suis (Petrus Hommesius) correxisset postea in eo exemplo, quod ex ea carceris cella, ubi uterque continebantur, ad alios Junqueriæ in alio gurgustio vinctos Jesu Socios, foras fuisset emissum. Idcirco vero Exscriptorem sine ulla dubitatione in eos lapsum fuisse leviores errores, & quod properantius dictata exciperet, & quod Excerptor majorem lucis copiam in tenebris gurgustii, ut par fuisset, non postulasset. "

§. LXXVII.

A Calumnia Collectionis alienæ ad ipsa *Scripta sua Malagrida provocat*.

JAm ex hac altera Malagridæ Responsione non modo nihil erroris apparet, nihil impietatis, nihil hæreticæ pervicaciæ admissum ab eo in Scriptis illis suis; sed illum præterea conficitur, pro falsario in ea Collectione Norbertum compilato-

(a) Bon. Ratioc. pag. 132.

pilatorem habitum ab eo fuisse. Etsi vero in Actis Judicialibus non extet humanissimum Malagridam conceptis verbis contra Collectorem perfidum, contra exceptorem nefarium, contra Excucullatum Calumniatorem, fuisse invectum; re tamen ipsa nihil dandum excerptis, nihil illi Summæ mala manu confectæ credendum, apertissimé Malagridam significasse, illa ipsa acta causæ suæ satis indicant.

Et verò Acta illa una cum impudentissima calumnia summam confectoris imperitiam per se ferre, Jurisperitis omnibus videntur. Sed ego sine mora ad responsionem Malagridæ redeo. *Me Vitam S. Annæ, me alterum opusculum in carcere confecisse*, opinor, Malagrida dixerit: at illud sane addiderit: *Ego idem nego, me male scripsisse. Nego me in ullo scripto meo graviter errasse. At Collector* (reponeret Quæstionis illius Judex) *Assertionum impiarum in iis duobus scriptis arguit, te & sæpissime; & gravissime errasse. Quid vero est opus*, (responderet Malagrida) *Collectore? Cur non hic Rhodus, quod ajunt? Cur non hic saltus? Cur non illa ipsa Scripta manu mea confecta, cur non eorum exemplum, Socii mei Hommesii manu, dictante me exscriptum, huc coram proferatur? At enim Exceptor*, (subjiceret aliquis Quæsitorum) *ea Scripta legit, ex iis impias istas sententias notandas judicavit. At bona*

cum

cum venia, *Judices*, (diceret Malagrida) *mihi verum dicere liceat*. *Si verum in Scriptis meis quæritis*, *Scripta ipsa recitata verum dicent*; *Si nodus in scirpo*, *calumnia hæretica in sententia sanissima*, *ex anticipato alicujus odio est invenienda*; *Excerpta perfida pro justis Scriptis proferantur*. *Mihi enim per vim Scripta mea sunt ablata*: *quo sint delata*, *nescio*; *Vos*, *ubi illa abdita lateant*, *pro officio vestro sciatis*. *Illud unum vos juxta mecum minime ignorare potestis*, *nihil Collectori cuivis facilius fuisse*, *nihil Collectori vendito etiam impunius licuisse*, *quam ut Scripta ipsa mea*, *vel male imprudens excerperet*, *vel sciens*, *vitiata manu sua interpolaret*.

At divis omnibus gratiæ! *quod de Scriptis ego meis vobis id possum respondere*, *quod in judicio Christus ipse respondebat Judæo Pontifici*, *de sua doctrina quærenti*: (Joan. 18. 11.) Quid me interrogas? *Non est abdita*, *non mysteriosa*, *non clandestina mea doctrina*: Interroga eos, qui me audierunt. *Ego in re simili sic respondeo*: *Interroga Scripta ipsa mea*: *Interroga Socios meos*, *eorum vel Exscriptorem Hommesium*, *vel sex Censores*, *Josephum Moreiram Regis Confessarium*, *Thimotheum Oliveiram*, *Hiacynthum Costam*, *Franciscum Duartem*, *Josephum Perdigarium*, & *Joannem Malhostiem*. (*a*) *Ii enim sciunt*, *quid in scriptis ego posue-*

(*a*) Brev. Hist. Expuls. pag. 335.

posuerim. Ii facile in Junqueriano carcere conclusi conveniri possunt. Ii quid calumniæ mihi Collector iusserit, quid in auctographo, quid in exemplo vitiaverit, corruperit, immutaverit jurati testificabuntur.

§. LXXVIII.

Vendita eorum Judicum in Causa Malagridæ & Religio, & Fides.

HÆc Judicibus re quidem vera respondisse Malagridam, ille ipse Actorum Editor, ut maxime vellet dissimulare, tamen omnino non potuit, cum Malagridam ipsum ad Scripta sua provocantem, cum Malagridam nihil Collectionis Scriptori respondentem, nobis referebat. Quæ cum ita esse videas, illud ego a te, Bolane optime, quæro. Qui tandem, aut quales tibi illi fuisse Fidei Quæsitores videantur? Itane vero? primum vos, Carvalhiani Judices, reum negasse, in scriptis suis quidquam inesse erroris, in actis vestris nos doceatis: Deinde Reum provocantem ad illa ipsa Scripta affirmetis; Tum fidem Excerptori omnem re ipsa detrahentem significetis; Ad extremum vero Malagridam gravissimè errasse, Malagridam impié sensisse, Malagridam Hæresiarcam fuisse, vobis videri pronuncietis?

Quid dicis, mi Bolane? Quæro unde constare id tandem potuit Judicibus Carvalhianis? Nihil dices facilius, modo ipsi Auctographum, modo exemplum Petri Hommesii recitatum, auditum, cognitum Malagridæ protulissent. Scilicet ita res erat: rem tenes. Cur ergo in Actis nihil dicitur, unde nobis constet, allata coram illa ipsa Scripta ab auctore ipso Malagrida agnita pro suis fuisse. Vide quo ego progrediar. Esto: Noluerit illa sua Scripta agnoscere. Cur id Acta non narrant? Cur non in judicium testis ille Socius Malagridæ, Hommesius, dicitur adductus? Cur non illi e carcere Censores Jesu Socii vel coram, vel ex scripto testimonium dixisse narrantur?

Quid? Istud erat verum in judicio quærere? Uni delatori Norberto credere? Uni imperio tyranni obedire? Quis vero non videat, ne Lusitanos quidem Quæsitores ita fuisse simplices, ita fuisse stolidos, ita fuisse sensus communis expertes, ut duo, quæ jam dicam, in omnium oculos non viderint incurrentia? Quænam verò duo? Alterum: Potuisse Norbertum, ne dicam etiam debuisse ex fide hominis mala, Mercenarium, Cappuccii desertorem jussu Carvalhii ex floribus spinas, ex luce fumum, ex veritate mendacium, ex doctrina sana hæreticas sententias in scriptis Malagridæ colligere. Alterum: non ex

aliena

aliena Collectionis Norberti, sed ex ipso Malagridæ scripto, ex ipso vel auctographo, vel certe exemplo Judices sententiam ferre debuisse.

Quid ergo causæ fuit, cur in actis nihil tale factum legatur? Negasset Malagrida, sese earum opinionum impiarum auctorem, quas sibi ascriptas ex illa summa audivisset recitari. *Ecce tibi*, (diceret Judex, vel Præses Quæstionis:) *Ecce tibi, monumenta tua, quæ te impium Scriptorem penitus evincant. Fateris, te Vitam Sanctæ Annæ, te Historiam Imperii Antichristi scripsisse: Huc converte oculos tuos. Vides ne Auctographum? Agnoscis ne in eo tuam ipsius manum? Vides ne Hommesii tui Exemplum? Vides ne lituras? Vides ne errores censoria tuorum Sociorum manu correctos?*

Quid, oro, causæ, mi Bolane, fuit, cur nihil harum rerum omnium factum in Actis legamus? Cur quod jus naturæ fieri præcipit, quod in causis ejus generis consuetudo semper factum ostendit, id totum in Malagrida fuerit omissum? Et tu, mi Bolane, reum Malagridam ex iis actis, non calumniatorem potius Norbertum, non prævaricatores Judices, non tyrannum Carvalhium agnoscas? Causa scilicet erat tota jussu Carvalhii præjudicata. Malagrida pro libidine, pro odio Ministri Regii mentitus Parricida, ex ejus crudelitate, ac supplicio per Regem deinde ereptus; ex ejusdem capitali furore repente fa-

etus hæresiarcha, erat a Norberto delatore describendus impietatis auctor, erat a Quæsitoribus Fidei perfidé in jus vocandus; erat ex calumnia, ex immanitate tyrannica Ministri rogo, flammisque comburrendus.

§. LXXIX.

Silentium in Actis Judicialibus non conjectura, sed invictum est Argumentum Calumniæ Norbertinæ.

AT enim dices, hæc ut maxime probabilia omnibus fiant, tamen ex una apta, ac religata ejus silentii conjectura, quod Acta judicialia servant, non tantum habere momenti videantur, ut, cum Consilium totum Quæsitorum, cum integrum Inquisitionis Tribunal, pro reo proditæ innocentiæ; tum vero Malagrida pro innocente objectæ impietatis habeatur. Video, mi Bolane, alte tibi sedisse in animo, quam jam dudum imbiberis, de tota Jesu Lusitana Societate, de conjuratione in Regem, de impietate Malagridæ suspicionem, livore, invidia, odio, malitia multorum (quos dicam, eos, tacente me, tibi noris amicos, & familiares) exulceratam.

Vide tamen, quo rem deducam, Paricidas Jesu Lusi-

Lusitanos Socios, conscios conjurationis illius Societatis Primores, impium hæresiarcham tibi Malagridam fuisse concedam, si tu, vel tuorum aliquis ex tabulariis Lusitanorum Fidei Quæsitorum, (ubi de more res judicatæ, in causis Religionis violatæ asservantur) sive Scriptum (*a*) illud Malagridæ auctographum, sive Hommesii exemplum proferas, in quibus aliqua saltem ex iis sententiis impiis inveniatur, quas Collector Norbertus Judicibus obtruserit. Quamquam tibi ejus operis, a laboris veniam facio, qui fortasse nolis, certe facile non possis ad scrinia *Sancti illius Officii* admitti. Quid ergo? Nullus jam reliquus est aditus ad innocentiam Malagridæ probandam? Immo vero & facilis, & expeditus patet ad eam judicandam aditus.

Hodie sunt, opinor, in Lusitania legitimi rerum religiosarum Judices. Præest toti Collegio Supremus Quæsitor a Romano Pontifice recte, atque ordine nominatus. Non equidem iis id oneris imponere audeam, ut de pristino illo Collegio, de illo consessu nefario, cui Paulus Carvalhius Carvalhii Ministri jussu præerat, liberè sententiam dicant, per me licet, totum illud illius temporis Consilium, non pro latrocinio Carvalhiano, sed pro justo, vero, germano, legitimo

(*a*) Animad. 3. ad vitam P. Correæ pag. 229.

gitimo Quæsitorum sacrorum Collegio habeant. Tantisper & ipse obliviscar, & eos non meminisse patiar, quo demum tyrannus Carvalhius evaserit, qua Paulus ejus frater morte perierit, quo impietatis Mansilha negotiator devenerit, quem reliqui Judices, quem Assessores, quem Consiliarii illi sacerrimi ad extremum exitum habuerint: quod totum quale fuerit, paulo post omnibus optima in luce collocabitur.

Illud unum pro studio juris æqui, pro amore veritatis, pro fama Collegii sacri non dubitem ab eo Quæsitore Supremo, qui nunc Consilium moderatur, postulare, ut Malagridæ vera scripta adeat, ut ea cum Collectione Nobertiana conferat, ut causam in integrum restituat: quod alias in aliis est factitatum causis. Utinam illi quæstionis sacræ primario Judici; Utinam aliis passim Magistratibus eam mentem Deus immortalis donaret, ut non modo pietas Malagridæ in Lusitania oppressa, sed omnino etiam omnium Jesu Sociorum causa, passim sine defensione, passim sine dictione, passim sine legitima quæstione potentissimis prodita inimicis, in integrum ex jure naturæ, ex lege omnium gentium restitueretur.

§. LXXX.

§. LXXX.

Hommesius absolutus omni crimine a Quæsitoribus probat, innocentem periisse Malagridam.

NEque velim opineris, mi Bolane, me hoc totum de more potius oratorio, quam ex rei ipsius veritate dicere; Vide enim, quid in Lusitania ipso anno 1777., vix vita functo Josepho I. Rege, ad evincendam calumniam in hac ipsa Malagridæ causa acciderit, ex ea potissimum parte; quatenus ad Hommesium illius Socium librarium pertinebat.

Is etiam tum in illa Quæsitorum custodia retentus, repente videt, sibi a Quæsitore Supremo potestatem, veniamque, ultro fieri vinculorum: atque ita fieri, ut sine publica sententia, qua innocens judicaretur, sibi per Quæsitorem Maximum carcere liceret abire. Atqui Ego, inquit Hommesius, solvi his vinculis, nisi judicatus rite innocens, non postulo; in integrum ut causa mihi restituatur, postulo. Rationis enim reddendæ copiam ejus libelli (*Vita S. Annæ*,) quam dictante Malagrida meo sine ulla hæresi exscripsi, pro jure meo peto. Nam alterum illum libellum de *Imperio Antichristi*, quem audio dici a Malagrida compositum, ego vero Malagridæ esse nego. (jure quidem merito negat Hom-

Hommesius, esse Malagridæ, quem vulgo Lusitani dicebant a falsario Norberto, & scriptum & illi subjectum fuisse·) Quid multis opus est? Cum Quæsitorum Sacrorum Collegio, jam non Paulus Carvalhius (qui per ambitionem malam, vel potius per armatas Fratris preces Cardinalis factus anno 1770., e vivis repente abierat,) præesset (a), visus Hommesius jus postulare, illico obtinuit, ut de integrò causa a severissimis Quæsitoribus retractata, omnino innocens judicaretur.

Cujus judicii fidem publicam, testimoniumque honorificentissimum sibi a Quæsitoribus datum cum Hommesius haberet, cum hoc modo innocentem declaratum, Antonius Bonifacius Coelius suffraganeus Ulyssiponensi Patriarchatus & agnovit, & illi publicam pristinorum ministeriorum denuo tractandorum facultatem, in concionibus habendis, in confessionibus excipiendis, in cathachesi tradenda omnibus, concessit, quibus ille muniis palam functus usque ad Annum 1790., diem supremum obiit. Jam tu, mi Bolane, nunc demum apertissime intelligis, quam ego merito illud optarim, ut Jesu Sociis sine judicio oppressis toties frustra ab iis postulatum, tam-

(a) Vide animad. 2. pag. 189. ad vitam P. Correæ; ubi in ejus locum Generalis Fidei Quæsitor suffectus est Joan. Cosmas de Cunha, cæteroqui Jesuitis infestissimus, de quo in Adnot. 7.

tamque ex lege Naturæ debitum, aliquando judicium concedatur; & simul quam injuriosè, quam fraudolenter, quam nefarie, quam impie *Vita S. Annæ* sit ea nota hæreseos inusta, quam totam hæresim Norbertus falsarius in collectione sua perfide, ac sacrilege commentus fuisset, clarissime vides.

§. LXXXI.

Norbertus de suo Monstra errorum Malagridæ affinxit.

QUæ cum ita sint, æequis erit, non iniquisissimus rerum existimator, quin *Acta illa tota* Malagridianæ causæ, sive manu, sive voce, sive jussu Carvalhii conficta, in malam rem, una cum auctore suo, ire jubeat? Nam qualis est nostræ controversiæ Constitutio? Qualis Causæ status? Qua demum de re agitur? Agitur ne, utrum Norbertus in *Collectione* illa male ominata, monstra plura errorum sit commentus, quæ, auctore imperioso Carvalhio, Malagridæ supponeret? An illud agitur, utrum in scriptis Malagrida suis ea monstra & foverit, & excluserit? Si tu, mi Bolane, nihil dicas aliud, nisi illas assertiones Norbertianas esse plane, & ineptas, & infictas, & nefarias, & fanaticas, & impias; nihil in eo tibi repuguem: Quis enim

aliter suspicari possit? An vero putes, Norberti cerebrum, tribus Antyciris insanabile, non adeo fuisse dementiæ, errorisque fœcundum, ut Carvalhiani vel honoris, vel gratiæ causa quam plurima, quam maxima, quam fœdissima portenta non comminisceretur? Non falsa responsa, non simulata oracula, non mentitus Divorum, Divarumque species, non vanas divinationes, non omnes omnium Dæmonum præstigias effingeret? Ego, etsi multa figmenta in illa Collectione miror, plura tamen ab illo Calumniatore nobilissimo desidero, qui ubi in Lusitania denuo fines, & repagula omnia fidei, pudoris, religionis rupisset; id, quod in India, in Italia, in Belgio, in Britannia sæpe solitus erat facere, multo magis & perfidus, & impudens, & impius in ea causa merito futurus esse, idcirco videri potuisset, ut animum Carvalhii dolis, fraudibus, malis artibus, teterrimis calumniis innutritum, penitus expleret.

Sin scriptis ipsis Malagridæ, si ejus confessioni, si Hommesii absolutioni mecum, & cum omnibus sine præjudicata, vel invidia, vel gratia sentientibus, stare velis; fateare necesse est, nihil malè, nihil hæreticè, nihil impiè Malagridam scripsisse.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Errores sine ulla specie veri in Actis Malagridæ suppositi.

AT enim in ipsis Actis convictus erroris Malagrida, male se scripsisse, male sensisse confitetur. Quo demum ista proferuntur auctore? Nihil enim tale in Actis ipse lego. Primum ego in illis *Actis* audio Malagridam, qui rogatus disertis verbis neget; se errores impios, se male olentes sententias in parvis illis scriptis suis agnoscere. Deinde publica sententia Quæsitorum (quibus mortuo Rege, non jam Carvalhius judicia, conceptis verbis proferenda, dictaret) Hommesium omni erroris suspicione liberatum scio, cum se assensum doctrinæ Malagridæ profiteretur.

Quæro rursus: Quo auctore Malagrida erroris reus & convictus, & confessus in *Actis* illis infamibus dicatur? Non illud quæro; Utrum quæ prodigia Norbertius Malagridæ supposuerat, ea judicio Malagridæ sunt pro prodigiosis erroribus & cognita, & rejecta. Nec enim dubito, quin & pius, & doctus ille Jesu Socius, cum ea errorum monstra sua esse negaret, omnia expianda flammis, aut in Oceanum demergenda censuerit. Illud in judicium, ac controversiam ve-

nit; Utrum Norbertius, bona fide, præter & ingenium, & morem suum, eos errores in Malagridæ libellis reperisset? Id antea diserte negantem Malagridam audiebamus, id testificantem illud ipsum scriptorem Actorum videbamus: Convictum Malagridam mendacii, in Actis non audivimus: Collata scripta Malagridæ cum Collectione Norbertiana non videmus. Quo ergo teste, quo auctore illud in *Actis* deinde scriptum legimus; Malagridam ea monstra a se parta agnovisse.

§. LXXXIII.

Ex Actis ipsis constat Malagridam, siquid errasset, sine pertinacia errasse.

Nimirum res ipsa tota pro se loquitur, mi Bolane: cum Carvalhiani Judices ex Carvalhii Edicto essent addicturi flammis Malagridam, eo demum alienæ immanitatis Satellites confugisse, ut sine ullo pudore, sine ulla fidei religione mentirentur, a Malagrida agnita pro suis ea deliria opinionum, quæ quidem vigilans somniasset, calumniæ operarius unicus, Norbertus. Id adeo totum, quo aliquo veritati fuco melius, & populo, & inimicis Jesu Societatis venderetur; visum est vel illis Judicibus, vel potius Carvalhio, totius fabulæ Malagridianæ primarum partium Actori, faciendum, ut in hæc verba in

Actis

Actis judicialibus scriberetur. (§. 61.) (a) „ Malagridam certiorem factum, sua illa scripta in examen doctorum hominum (b) etiam eorum, qui mysticæ essent Theologiæ periti, adducta, ejusmodi censura fuisse notata, ut multa in iis errata, multa secum pugnantia, multa, quæ malé audirent, quæ temerariè effutirentur, quæ offensionem parerent, quæ hæresim continerent: itaque eas prædictiones, atque vaticinia, quæ in ejus essent scriptis non potuisse ab spiritu veritatis amico proficisci; Ex Actis judicialibus (§. 79.) respondisse, (c) si quæ in scriptis suis forte essent sententiæ, quæ jure notam essent commeritæ, se eas omnes paratissimum esse corrigere, & singillatim sibi propositas ex censura Quæsitorum notare: omnino enim velle & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & judicio Quæsitorum Fidei se totum subjicere.

§. LXXXIV.

Malagrida contra morem Quæsitorum sine pertinacia, pro hæretico punitus crudelissime.

QUæ mihi illa dant *Acta* Malagridiana, a Quæsitoribus non optimæ fidei accipio. Erit, opi-

(a) Bon. Ratioc. pag. 145.
(b) Nominarim Fratris N. a Monte Carmelo Thereziano ib. p. 127.
(c) Ibid. pag. 32.

opinor, qui illis nihil dandum, nihil credendum existimet; neque id quidem immerito, ut a me paulo post manifestissimé evincetur. Sed quæ nunc dant, accipio: Malagridam, si quid secus scripsisset, id totum ex judicio Ecclesiæ Romanæ reprobasse. Quid nunc tu, mi Bolane, non aperte vides iniquitatem Judicum sibi esse mentitam? (a) Crudelitatem Carvalhii sese manifesta prodidisse? Nimirum Malagrida, qui judicium suum auctoritati Ecclesiæ, qui censuræ Quæsitorum subjiciebat, si quid perperam sensisset, omnino se docilem ostendebat, nihil pertinaciæ præseferebat, nihil præjudicati erroris retinebat. Non ergo pro pervicaci, pro confidente pro obstinato pro refractario, pro hæretico erat a Judicibus condemnandus, non pro hæresiarcha flammis addicendus.

Nolo in re aperta operam, & oleum perdere. Nolo infinita exempla eorum proferre, qui, cum humani aliquid in scribendo, in loquendo, in sentiendo passi essent, idcirco neque sunt nota impietatis inusti, neque Quæsitoriis flammis expiati, quod sine contumaci pertinacia, sine refractaria confidentia errassent. Unum dicam: Numquam adhuc, & nusquam Gentium odium publicum Quæsitores fidei jure promeruisse, quod

igni

(a) Ps. 26. 18.

igni addixissent eos homines, qui vel bona fide essent in errorem malum lapsi vel qui, ut cumque lapsi in errorem, admoniti deinde, Eum ipsum abjurare, fuissent professi.

Illuc paucis redeo: Innocentissimus Malagrida erat odio Carvalhii de sententia Judicum pro reo, pro impio, pro fanatico, pro plano, ac simulatore prodendus. Malagrida erat calumnia Norbertiana onerandus: Nihil eum juvare oportebat, quod in scriptis suis nihil esset erroris, quod scripta sua cum excerptis, mala manu vitiatis, non essent collata; Nihil ad ejus absolutionem facere debebat, quod sese docilem Ecclesiæ Filium, quod sese correctioni paratum, quod se morigerum censuræ legitimæ profiteretur.

§. LXXXV.

Actorum Scriptor sæpe semper eum veritate pugnat.

VEnio nunc ad eam Actorum partem, ubi pro plano atque hypocrita nobis fingitur Malagrida. Hic ille ipse Norbertus, quantus calumniator esset planius, opinor, volebat Carvalhio suo ostendere, quam antea toti jam Europæ, ne toti dicam Universo, in historia fabulosa Missionum Jesu Societatis ostendisset. Ergo quantum

sibi copiosissimus ille, ac fœcundissimus doli, ac malitiæ Artifex excogitare potuit, id totum partim invenisse se in scriptis Malagridæ, partim in ipso carcere a Malagrida admissum, mentiebatur.

Ego sigillatim, non totam eam Iliada Visorum, Vaticiniorum, Oraculorum, Præstigiarum, a malo Poeta Norbertio confictam, mihi sumam explicandam. Quid de re ea tota interrogatus Malagrida responderit, paulo post brevi a me indicabitur, quo planius & hominis Sanctissimi vita, & summa judicii, in eum lati injuria omnibus appareat. Nunc de falsitate totius calumniæ nonnulla indicia, quæ male in Actis ipsis *latitare* videntur, proferam. Primum enim Actor ille, sive Actorum male sanus Scriptor, secum sæpissime pugnabat: Nunc nobis affingebat, Malagridam callidissimun Sanctitatis Simulatorem, qui visa, qui colloquia, qui oracula, qui vaticinia diviniora tantumodo crepareт, ut sanctissimæ vitæ opinionem sibi aucuparetur: Nunc eumdem perfrictæ frontis, projectæ impudicitiæ, apertissimæ nequitiæ coram Socio in carcere Nebulonem ostendebat, ubi, ridicula potius, quam astuta calumnia fingeretur septuagenarius ferme Senex solitus luxuriare! in quo quis non videat, calumniatorem secum pugnantia loqui?

Deinde ille idem Scriptor Causæ Malagridianæ, cui

cui esset illud propositum, simulatorem nobis virtutis, ac modestiæ depingere Malagridam, non jam hominem modo ipsum male agentem in vita nobis exprimebat, sed per ejus latus sanctiora Jesu Societatis, imo vero Religionis ipsius Christianæ, ministeria, in quibus ille versaretur, impetebat; ut idcirco vellet, suspicionem fanatici, atque falsi operarii (a) in illum valere debere, quod Malagrida in tradendis S. Ignatii exercitiis spiritualibus, in conveniendis in carcere nexis, in invisendis ad publica valetudinaria ægrotis in concionibus sacris frequenter habendis, in confessionibus excipiendis, in Clericorum adolescentium Seminariis erigendis, in Monasteriis Virginum Ursolinarum constituendis, in parandis asylis pudicitiæ iis fœminis, quæ de honore periclitarentur, totus esse consuevisset.

§. LXXXVI.

Convicta Actorum mendacia.

PRæterea in iis Actis, ea sæpe Vaticinia affingebantur Malagridæ, quæ apertissimam calumniam præseferrent. Vel illud, quod de morte Regis, (quam mortem divinitus dixisse sibi

Par. I. Ff mon-

(a) V. Anecd. tom. 3. pag. 237.

monstratam arguebatur) narratur dixisse Malagrida, quam in manifesto mendacio tenetur, Ex Actis Judicialibus (§. 38. & 39.) (*a*) „ In morte (sic ille mendacissimus scriptor) Marchionis de Tancos, Præfecti armorum, cum Malagrida strepitum tormentorum in ejusmodi Regiorum præfectorum funere fieri solitum, e carcere *Inquisitionis audiisset*, *ejusdem carceris Custodi illico ratiocinatus fuit*, *Regem obiisse*. " Atqui rei totius narratio in mendacio ipso per se patenti scriptoris vanissimi cubat. Ille enim Marchio Tancosius 22. Januarii 1761 obiit (*b*) quod omnes norunt: Malagrida in *custodia Junqueriana* ad mensem Majum ejusdem anni asservatus fuit. (*c*) Mendacium in Actis non occidet judicium? Non innocens perierit Malagrida? Postremo ne tædium Lectori creem, si quæ utraque pagina Actorum scriptor temere mentitur, ostendere pergam; unum dumtaxat addam. Ibi sæpissime legitur „ eo odio exarsisse Malagridam, quo acerbius fingi aliud posset nullum, in Lusitanam Nationem (*d*) (§. 3., 6., 7.) & in Regem (§. 26., 27., 41., & 42.) (*e*) Magnum her-

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 171.
(*b*) Ex Fphemeride Coloniensi in suppl. 20. Febr. Artic. *Ullyssipone* 24. Januarii 1761.
(*c*) Fx Bona Ratioc. pag. 173.
(*d*) Ex Bona Ratioc. pag. 99., 100., 101., vel 147.
(*e*) Ibid. pag. 105., 107., 115., 116.

hercle facinus! At quo istud argumento? Quia & Lusitanæ Nationi, & Regi (§. 27.) malum imminens a Deo deprecabatur. (a) Itane vero? Si Regis causam apud Deum agebat, si salutem rei Lusitanæ Deo assidue Malagrida commendabat, quid aliud est in calumnia apertè velle cavillari, si hoc non est? Quasi vero in sacris Litteris & Samuel, (b) & Jeremias, (c) & plures Viri sanctissimi, sæpissime pro salute Populi, & Regum, Deum precati, odio Reges, & populos illos, & non potius summa charitate, fuissent prosequuti.

§. LXXXVII.

Malagrida Scripta, & sensa, & dicta sua omnia Censuræ legitima corrigenda sponte committit.

SEd jam multum valere jubeamus scriptorem fabulosum: Ipsum Malagridam Quæsitoribus respondentem audiamus: quamquam, non sine mendacis narrationis suspicione, illum ex Actis possimus audire respondentem: Audiamus tandem ex Actis. Quid ergo interrogatus de divi-

(a) Ex Bona Ratioc. pag. 107.
(b) I. Reg. 15. 11.
(c) II. Machab. 15. 24.

nioribus visis suis, sive revelationibus Malagrida Quæsitoribus respondit? Verum dicam. Opinor, nobis nunc foret opus aliquo a Deo oraculo, non a tripode Apollinis Carvalhiani perplexé responso, ut quid ille bonus senex responderit, certo & costanter sciremus. Sed quid demum narratur in Actis respondisse Malagridam? Id quod illius & modestiam summam, & Fidem sanctissimam in primis probare videbatur. (a) „ Velle sese, ajebat, omnia & animi sui sensa, & cogitata, & dicta, & scripta judicio Ecclesiæ subjecta: ipsum de se quidem omnino profiteri, adeo sibi non cupiisse a Deo extraordinaria animi visa, ut in iis probandis, atque a se abigendis, eas artes omnes adhibuerit in iis etiam exorcismis, quibus sint sanctissimi viri sæpe usi. (b) Ipsum sibi nihil in visis dijudicandis temere arrogare. Suum enim omnino non esse de veritate, atque sinceritate illorum, quasi ex tripode, loqui; scire sese quidem, quam sit ipse servus inutilis, quam indignus, cui divinitus ea munera conferantur. „ Quid plura? *Sese promptum, ac paratum profiteri, ut ex judicio Quæsitorum, ex Ecclesiæ sententia de visis, ac prædictionibus suis statuat.*

Equidem cum audio scriptorem, ita de Malagrida

(a) Vide Bonam. Ratioc. pag. 23. (b) Vid. hic pag. 209.

grida narrantem, ego haud scio satis, utrum magis stupidam Calumniatoris incostantiam apud me detester; an sapientiam, ac modestiam divinam Malagridæ lætus deosculer. Quis enim non amet in Malagrida tantam animi demissionem, tam sui despicientiam. Quis in ipsa demissione non vera fuisse ea visa suspicetur, sicqua ille sibi divinitus scripsisset immissa? Quis contra, stuporem, atque inconstantiam non demiretur Actorum, in quibus tanta animi docilitas, tanta simplicitas, tantus candor in Malagrida ostendatur; cum eodem tempore videat, in illis ipsis pro capite confidenti, pro simulatore pervicaci, pro contumaci hæresiarcha, rogo damnatum fuisse reum innocentissimum?

Quæ cum ita sint, Duo in Malagrida nemo non videat apertissime confirmata, & simplicem Veritatis orationem esse, ut est in paræniis humanis: Et iniquitatem solitam sibi mentiri, ut est in oraculis divinioribus. Quid opus est pluribus? Ulturus cum Carvalhius esset Malagridam, a cujus Sanctitatis, atque integritatis fama pessime sibi metueret, neque sine suspicione majoris alicujus maleficii odio suo devovere Sanctissimum illum Jesu Socium posset, qui suspicionem Collegio legitimo Quæsitorum Malagridæ nullam facere se posse videret; ille Lusitaniæ Tyrannus suppositis, atque a se factis nullius

fidei

fidei Quæsitoribus, pro imperio primum dedecorandum, deinde pro pertinaci damnandum, ad extremum impiis flammis comburendum præcipiebat.

§. LXXXVIII.

Confessus Malagrida se potuisse deludi, cogitur a Quæsitoribus, ut sponte sua se Hypocritam confiteatur.

ERgo res ita in eo consilio, de cujus sententia esset infami supplicio Malagrida omnino tollendus, de integro constitui cœpta fuit, ut, quoniam ille non modo nihil pervicaciæ præseferret, sed potius omnia & dicta, & cogitata & sensa, & visa animi sui judicio superioris, & legitimæ in Ecclesia potestatis sine fuco, ac fallaciis submitteret; si pro contumaci hæretico morte plecti non posset saltem pro obstinato præstigiatore, pro plano, pro ficto, atque hypocrita, quæ vitia scilicet de se numquam esset Malagrida confessurus, extremo afficeretur supplicio. Negat Malagrida, sese in scriptis suis, negat, (ajebant illi secum Judices) sese in vaticinando, in prædicendo, in divinando fraude, ac dolo malo usum fuisse. Idem, siquid humani in scriptis, in dictis, in visis suis sit forte passus, id se totum Superiori auctoritati corrigendum per-

permittere profitetur. Idem tamen, se sine animi sui malitia potuisse deludi, potuisse delusum a vero aberrare non disfitetur.

Rem hic denique factam habebimus, si ponamus, si pro concesso sumamus eum, qui fateatur deludi a malo dæmone potuisse, re ipsa in anteactæ vitæ suæ muneribus, atque officiis omnibus, delusorem, planum, hypocritam, præstigiatorem certissimum fuisse; scilicet ea de re a Nobis interrogatus sese hypocritam Evangelii Ministrum fuisse, præcise negabit. Neget enim vero: hæc ipsa Nominis obfirmata animi sententia a nobis pro contumacia, pro pervicacia hæretica notata aditum ad ejus impietatem igni devovendam apertum, ac patentem dabit. Quid vobis videatur? Quid? Reus *est mortis*. Placet.

Re ita constituta; coram Malagrida vocatur. Non fraus, non captio, non cavillatio, non dolus, non sophisma ullum ab illis corruptis Quæsitoribus prætermittitur, ut ab illo ea confessio extorqueatur, qua ipse sese prodat non jam delusum, non ratione frustratum; non speciose deceptum; sed perpetuum in vita fuisse delusorem, perpetuum Sanctitatis simulatorem, perpetuum pecuniæ per pietatis imaginem Corrogatorem.

At ne hic quidem Quæsitores proficiebant: Quæ enim ab iis Malagridæ argumenta singula obiiciebantur, ea nullo negotio ille dissolvebat:

Nec

Nec sane multum erat, in quod sibi esset laborandum; summa enim totius accusationis adeo ludrica, atque inepta erat (ne quid dicam gravius in eorum Judicum stuporem) ut ad Summam contenderint idcirco delusorem, idcirco hypocritam fuisse Malagridam, quod ipse de se fateretur, potuisse a nefario spiritu deludi. Et vero quid illi respondissent, si quis ita cum illis egisset? Itane vero Quæsitores Carvalhiani? Ea est vestra dialectica, ut si quis possit deludi, illico jam delusus sit? Quasi vero possit in vos ipsos jure concludi: Siquis, a Carvalhio delectus. Judex possit prævaricari, illico jam sit prævaricatus: siquis innocentiam rei odio Carvalhii possit judicio suo prodere, illico jam innocentiam Rei Carvalhio prodiderit.

Videte vero, quo ego rem deducam, fingite, si vobis libet, Malagridam non potuisse modo in visis suis deludi, sed delusum etiam aliquando fuisse. Quid? Continuò ne vobis erit ille delusor? Ille simulator? Ille hypocrita? At per fortunas vestras videte, ne vos mysticæ Theologiæ imperitiores, quam quantum in Quæsitores fidei, etiam Lusitanos, sine dedecore cadat, profiteamini. Quasi vero non sæpe bona fide erraverint, etiam Sanctissimi, cœteroquin Viri, in Visis suis dijudicandis, in Sententia internorum oraculorum interpretanda. Si quis, inquam, ita Judices eos redar-

redarguisset; profecto eos stupides evicisset. Ego vero ita cum illis Quæsitoribus egissem.

§. LXXXIX.

Nullis argumentis usi Quæsitores conantur a Malagrida extorquere simulatæ pietatis Confessionem.

QUæro: qualem demum facitis: vobis Præstigiatorem? qualem simulatum disciplinæ christianæ Artificem? Qualem hypocritam? Nempe is eo vitio, communi hominum sententia infamis habetur, qui sciens & prudens, qui vivus, vidensque alios mendaciis suis oneret, qui sibi doli, ac fraudis intime conscius, alios in dolum in fraudem, in errorem dedita opera inducere conetur. Agite vero, istud in Malagrida ostendite. Is annos totos quadraginta in oculis totius Lusitaniæ Nationis partim in Europa, in Urbe Regia Ulyssipone, in Aula ipsa Fidelissima, partim in Americanis Marinoniæ, Brasiliæque Coloniis erat versatus. Quid? Cui vos probabitis, neminem odoratum fuisse malitiam, neminem Sanctitatem hominis suspectam tam longo vitæ spatio habuisse, si re quidem ipsa simulata species Apostolicæ in illo vitæ erat? Atqui ubique & gentium, & locorum Malagrida Apostolicus Vir

audiebat, ab omnibus Lusitanis insignis Evangelii Operarius, Malagrida prædicabatur: a duobus Regibus, ab Aula, ipsa Ulyssiponensi Sanctissimus Jesu Socius Malagrida laudabatur.

Quid vero illud de stipe pia (non a multis in Brasilia, uti falso asseritur §. 45. in Actis judicialibus; sed a Rege Joanne V., & Josepho I.) (*a*) Malagridæ collata, quam ille in usus religiosos bono publico impenderet? Fieri illud, quæso, poterat, ut si ille delusor esset, nemo eum sibi, quod ajunt, suisque omnibus & serere, & occare, & metere suspicaretur? Cur vos, novi ingenii Quæsitores, qui tam cernebatis acutum, quam serpens ille vester, non dicam Epidaurius, sed Lusitanus, (Carvalhius) nulla argumenta peculatus in Malagridam proferebatis, quod ille stipe illa pia defraudasset Seminaria Clericorum, quæ (*b*) in Brasilia, & Marinonia erexerat, quod Collegia Ursolinarum destituisset, quæ ibidem constituerat; quod asyla illa pudicitiæ fœminarum spoliasset, quæ aperienda liberalitate civium, & munificentia duorum Regum curaverat?

Quæ si vos, vel argumenta certa, vel indicia probabilia, ex re ipsa Malagridæ objicere potuissetis;

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 165., & seq.
(*b*) Ibid. p. 165. & Anecd. Ital. tom. 1. pag. 237.

setis; sine ulla dubitatione famam corrupti judicii iis probationibus redimere maluissetis, quam novi Rethores ex hypothesi thesim, quam novi Logici ex *potentia Actum*; ex eo quod potuerit innocenter Malagrida deludi; Malagridam & delusum, & delusorem malitiosum arguere.

§. XC.

Malagrida inficiatus, Jus esse Quæsitoribus arcanorum cordis ad Christum Judicem *provocat*.

SEd multum jam valere jussa dialectica plane mendosa Quæsitorum; quid respondisse dicatur reus Malagrida, audiamus. Ille facile dolum in interrogatione assecutus, nihilo minore modestia, quam verborum gravitate, & asseveratione profitebatur: „Ipsum & sibi optime esse conscium (a) nihil falsi Quæsitoribus respondisse; nec sine perjurio nefario posse de se fateri id, cujus confessionem Quæsitores arte nova a se expiscari vellent. Sese in omnibus vitæ suæ religiosis officiis sine fraude, sine fallacia, sine fuco, sine ulla simulatione illud unum dedita opera egisse, ut majorem Dei gloriam quæreret;

(a) Bona Ratioc. pag. 37.

ita Dei munere sese in præsentia animatum intimè sentire, ut ne digitum quidem transversum a fide conscientiæ suæ per amphibologiam, per versutiam, per astutam verborum calumniam velit in respondendo recedere. Neque vero in posterum alienæ vel potentiæ, vel gratiæ, vel auctoritati cum magnis divis quidquam in loquendo esse daturum. (a) Denuo plane, simpliciter profiteri, se in omni vita alienissimum ab omni simulatæ sanctitatis specie: Majorem Dei unius gloriam in actionibus suis spectasse. "

In hanc sententiam loquentem Malagridam cum ingratiis audirent Carvalhiani Judices, & personæ quam alienam agebant, Quæsitorum sacrorum plane immemmores, spiritum, ardorem, odium, furorem Carvalhii sumendum sibi in Malagridam rati: (a) „ Oh te, exclamant, hypocritam nefarium! O Sepulcrum dealbatum! O planum vaferrimum! O Impostorem manifestum! Nunquam ne eum te nobis fatebere, quem nos plane esse, compertum habemus?

Cum hæc convicia, hæc dedecora, hæc verborum opprobria, hæc non Quæsitorum judicia, sed furentis Accusatoris maledicta Malagrida non offenso animo audiret; arbitratus tamen sui esse officii furentes Judices ad sanam mentem revoca-

(aa) Ibidem.

vocare : „ At ego, inquit, a Vobis, & propitio Deo, & pro jure, opinor, meo, quæro: Quis arcana cordis, quæ uni Deo pateant, vobis cernere, ac intelligere concessit? Quo jure animi mei intima consilia, occultissima per se, mentis meæ sensa, nunquam cum aliis collata, damnare audetis? nec enim si quid Judici libet, id continuo jure licet: Legitimi enim illud est officium Quæsitoris, ex factis, ex dictis, ex verbis, ex rebus in medium & adductis, & probatis, Innocentem absolvere, nocentem reum condemnare. (a) Nego iterum, ac sæpius id, quod perpetuo, ne conscientiæ meæ fidei desim, negabo; me simulatorem vitæ sanctioris fuisse. Vobis non satis est, id uno dicere verbo: Si audetis, argumentis, testibus, tabulis, scriptis, litteris, me falsò negare, ostendite. Quod si adhuc neque ostendere potuistis, neque in posterum unquam ostensuros vos esse cofiditis; Cur me reum conviciis, cur veritatem ipsam opprobriis, cur innocentiam maledictis incessere contra jura omnia, divina, & humana, contra legem, contra morem omnium judiciorum audetis? Ne, quæso, frustra sitis: Nihil me vestri vultus, nihil quæsitoria persona, nihil supplicia intentata, nihil rogus accensus, nihil vendita alie-

(a) Ibidem, & ex Actis Judicialibus.

alienæ impotentiæ (erumpat tandem vera vox) sententia capitis me deterret: *Non eos timete*, (dicitur Matth. 10. 18.) *qui occidunt corpus*, *Eum timete*, *qui potest & animam*, *& corpus perdere in gehennam*. Qui vos una mecum judicabit Dominus, ille omnium Deus est, quem ego ad extremum sanctissimè juratus appello. Me Jesu Societatis Alumnum, neque Planum, neque Hypocritam, neque Illusorem, neque simulatorem Evangelii Operarium unquam in vita fuisse. (a) "

§. XCI.

Malagrida morti proximus iterum ad falsam Confessionem per Carvalhium frustra *sollicitatus*.

Ergo Malagrida, partim ira Quæsitorum, quos Christiana libertas exacerbasset, in reum sui juris retinentissimum; partim atrociore odio Carvalhii, qui pro imperio capitis sententiam ferendam Quæsitoribus edixisset; pro Hæresiarcha nigerrimis eorum Judicum suffragiis jam condemnatus, nondum tamen animum trucem Lusitani Tyranni, immanemque furorem explesse videbatur. Videbat enim fore Carvalhius,

(a) Ibidem.

Ilhius, ut, si non innocens reus Malagrida, at saltem non rite, non jure, non lege convictus vulgo haberetur; quippe qui nunquam ea parricidia in Regem, nunquam ea impietatis probra in Deum esset confessus, quæ illi a Quæsitoribus objecta, sine rei confessione nullam veri speciem in se essent habitura. Ergo qui tot in cassum artes in Malagridam tamdiu adhibuisset, fraude, doloque malo jamjam moriturum innocentem reum ad extremum aggredi constituit. (*a*)

Vocat ad se Benedictinum quemdam Monachum, Joannem Baptistam N. N., necessarium hominem, certe sibi valde probatum, quippe qui suo jussu nihil erat veritus publicé probare una cum alio (*b*) Carmelita Theresiano, Ignatio a S. Cajetano, postea Episcopo Lieirensi, famosum illum Antonii Pereiræ Librum de *Episcoporum potestate*. „ Te ego, ait, isti Jesuitæ & parricidæ, & hæretico, & fanatico hortatorem do, quem tu a Quæsitoribus condemnatum ad supplicium de more isto prosequare. Facies tu mihi quidem gratissimum, idque ut facias, tibi ego pro imperio edico; Si eum in ipso jam sup-

(*a*) De munere Sacerdotali deturbatum a Fr. Alexio de Miranda, Episcopo Mirandensi Dominicano, non vero a Josepho Dantas Barbosa uti legitur in historia anni 1761. p. 197. Patriarchæ Suffraganeo, qui se ægrotare finxit, ne id faceret. Anecd. Gallicè scrip., edit. anno 1787. Adnot. 13.

(*b*) Anecd. vero Ital. tom. 2. pag. 244. & 250.

supplicio admoneas, ut a Rege palam Parricidii, a populo item offensionum omnium, peccatorumque suorum clara, elataque voce veniam sibi precetur: morti proximus sibi consulat, atque quod in quæstionibus semper negavit, id extrema saltem voce confiteatur: Sese fuisse deterrimum & Parricidam, & Maleficum, & Simulatorem. "

Ille quidem Carvalhianus Cliens, Malagridæ non tam salutis, quam novæ fraudis in morte monstrator, cum facile rem totam, consiliumque callidum Carvalhii sui perspexisset, (qui alterum e duobus sibi quærere Monacho videretur, ut, si Malagrida veniam ejusmodi rogaret, confessus reus, convictusque; sin eam veniæ petitionem abnueret, contumaciter sceleris, atque erroris impii tenax haberetur) hortari cœpit (*a*) senem, jam jam jugulum Carnifici porrecturum reum, ut a Rege, non procul ad specula vicina (*b*) prospiciente, veniam Parricidii, a populo circumfuso veniam suorum scelerum humillima, ac clarissima voce rogaret.

Hic si unquam aliàs palam omnibus, ipsi etiam Carvalhio constare potuit, quàm illud verè scriptum (Prov. 21. v. 30.) esset. „ Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium adver-

(*a*) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 250.
(*b*) Bon. Ratioc. p. 73.

adversus Dominum, qui os, & sapientiam (Matth. 10. v. 20.), cui non possint contradicere omnes eorum adversarii, " se daturum esse promisit. Malagrida enim, in media jam morte, inter Ducem Cadavalensem, & Comitem Villænovæ, (a) præsente ipso carnifice, coram apparatum totum supplicii intuitus, officii tamen sui ab optima conscientia memor, nihil supplicii præsentis terrore commotus, ita hortatori impiè doloso est obsequutus, ut sine veritatis injuria modestiæ christianæ satisfaceret, sic clara voce proloquutus:

„ Equidem pro eo, ac ipse mihi sum conscius, nunquam in vita mea Fidelissimi Regis Majestatem, ne leviter quidem, læsisse, coram ipso Deo, mihi mox futuro Judice, profiteor. Quod si quando tamen in Regem, si quando in quemvis alium Civem, hominemve peccaverim, universim ab omnibus erratorum mihi fieri veniam jam moriturus obsecro. " (b) Quæ verba, sub ea conditione, cum vix proloquutus fuisset Malagrida, sese ad Deum toto animo, atque eximiæ pietatis prominente significatione conversus, in ea voce: *Miserere mei, Domine: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*; est a Carnifice strangulatus die 20. Septembr. 1761.

 §. XCII.

(a) Hist. anni 1761. p. 190. Typis Pitter.
(b) Anecd. Ital. tom. 2. p. 250.

§. XCII.

Carvalhius Regi frustra Malagridam pertinacem calumniatus, sese vulgo dedit *detestandum*.

HIc nemo non videat, mi Bolane, vehementer frustratum ea quidem potissimum spe Carvalhium fuisse, qua sibi fore pollicitus erat, ut saltem in ipso supplicio Malagrida sese sine exceptione ulla, sine conditione addita, simpliciter, & præcise Parricidam, atque planum, saltem specie demissionis, christianæque modestiæ gratia ductus confiteretur.

Ex ea tamen parte Carvalhius sese delusum consolabatur, quatenus Regi ipsi se persuasurum facile putabat Malagridam hæreticum, contumaciter obstinatum, periisse. Quid autem Rex ipse de Malagrida interea existimarit, aliorum judicio relinquam; nam male se quidem de illo Sacerdote; male de Ecclesia ipsa meruisse, Rex ipse morti proximus, cum nuda veritas fucum omnem deponit, plane, aperteque confirmavit; Id, quod Pius VI. aperté testabatur, cum de voluntate illius suprema Purpuratos Patres admonebat, quo temporè eos de morte Regis 12. Maii 1777. publice faciebat certiores.

Certé Tyrannus ille Carvalhius nemini tenebras offundere illo supplicio horribiliore, non di-

cam

cam Catholicorum, sed ne Novatorum quidem in Europa tota potuit, cum Acta illa sua calumniis, mendaciis, inanibus criminationibus, ineptissimis suspicionibus refertissima edebat. (Adnot. XVII. *Eò amentiæ*) Quod totum multo planius, ac luculentius apparuit, cum decursu ipso temporis Deus ille vindex sceleratorum Judicum *exitu fœdissimo Carvalhianæ totius factionis*, quem jam paucis persequar, mendaces eos ostendit, qui maculaverunt illum (Sap. 10. v. 14.), non jam innocentem, sed pium, sed probum, egregium Jesu Socium Malagridam. Nec enim iis, qui piè, ac sapienter de Dei providentia sentiunt, dubium esse potuit, quin immissa *toti* illi factioni Carvalhianæ divinitus mala, infortunia, supplicia fuerint & irati in eos homines Numinis argumenta, & propitii in Malagridam, in alios, Carvalhii odio oppressos, indicia manifestiora. (*a*)

§. XCIII.

Ultore Deo Paulus Carvalhii Frater, jam mortuus Purpura Romana *donatus*.

Hic ejusmodi campus orationi pateret, in quo facile etiam meæ tenuitas facultatis non sum-

(*a*) II. Mach. 3. 24.

summa videretur. Paucis rem totam complectar. Primus ex illo grege Carvalhii, in quem visa est Numinis vindicta manifestius erumpere, Carvalhii fuit Germanus Frater Paulus, ille suppositus Quæsitor Fidei contra voluntatem Romani Pontificis Clementis XIII. in Lusitania Supremus. Res sic acta fuit: Cum par illud Fratrum, quorum alter altero maculosior, altero deterior esset, summa apud omnes & domi, & foris invidia flagrare se videret, velle Carvalhius major cœpit perditissimè domestica opprobria, ac turpissima flagitia dibapho Pontificio decorare.

Pontifex erat Summus Clemens XIV.; is, qui Regium Ministrum, qui Lusitaniæ Tyrannum, studio scilicet an pacis, an lycophiliæ, 24. Septembris 1770. in Consistorio honorificentissimè excepisset his verbis: „ Quæ vero, & quanta esse debet nostra etiam de dilecto Filio Nobili Viro, Comite de Oeyras, Fidelissimi Regis Secretario Status, laudum, atque honorum prædicatio? cujus præter cæteras commendationes, nunc maximè illustria erga nos studii, atque observantiæ; & erga Regem singularis obsequii, ac fidei testimonia extiterunt. " Confer hanc Allocutionem, mi Bolane, cum Allocutione Francisci Coelii, vel cum Edicto Franciscæ Reginæ. (a)

Ergo

(a) Vide hic pag. 6. in Præf. & pag. 353.

Ergo a Pontifice ad speciem amico, certe quidem paulo magis indulgente postulare nihil dubitat Carvalhius, ut & suis, & Fratris sui meritis non indebitam Purpuram Paulo Fratri Fidei scilicet Quæsitori (Jesu Socii Malagridæ infestissimo homicidæ) Cardinalitiam decernat. Quid ageret Clemens, cum nomine Regio, cum armatis precibus, cum non dissimulatis minis se rogari a Carvalhio suo, ab Scriba Regio in *pactis conventis* videret? Fecit id, quod ambitiosius a Regiis Ministris rogatus, sine cunctatione solebat. Sine ulla expostulatione cum Paulo, qui mentitus Fidei Quæsitor esset, sine ulla satisfactione injuriæ, Romanæ Sedi factæ, morem Carvalhiis Fratribus 19. Decembris 1769. gessit, cum Paulum Cardinalem per Litteras designavit.

At Carvalhii Fratres cum sperarent, sese jam de sede Apostolica, de Ecclesiasticæ Hierarchiæ amplitudine, de Majestate Pontificia, de Romanæ Sanctitate Ecclesiæ brevi hac esse Purpura triumphaturos; præsentem Ultoris Dei manum intra dies paucos sunt gravissimam experti. Paulus jam jam purpura ornandus Ulyssipone 17. Januarii 1770., prius e vivis inopinata morte obiit, quam Romæ in Consistorio PP. Purpuratorum Cardinalis nominaretur; ibi enim 29. Januarii jam mortuus publice Paulus Carvalhius dictus est Pater Purpuratus.

Quam

Quam verò in partem sit rem totam interpretatus Carvalhius, qui ex ista impiorum Philosophorum insania negaret palam, quæ ferat cursus naturæ mala, ea esse unquam in divinis suppliciis ponenda, neque curo, neque tango, neque aveo scire; quamquam non dubitem, quin naturam ipsam, quin fati importunam vim sit palàm oppido execratus. Illud scio, communi bene sentientium consensu, qui rei totius tempora, qui causas, qui adjuncta notassent, Purpuram mortuo Paulo Roma delatam ostentum habitum fuisse certissimum, quo Deus iram suam in tam fœdum Fidei Quæsitorem, in tam profligatum Lusitaniæ Scribam denunciasset.

§. XCIV.

Turpissima Pereiræ mors, qui condemnatum a se Malagridam lauto convivio *celebrasset*.

JUdex in causa illa Malagridæ Nunnus Alvarius Pereira (Is, qui ex scripto impium systema, in Ecclesia damnatum, scilicet peccata a Deo Lusitanis imperari docuerat,) tam cupide suffragio suo condemnarat, ut capitalem eam sententiam convivio lautiore, (*a*) eo ipso die 20. Septem-

(*a*) Ex Anecd. Gallicè scrip. 2. Edit. Adnot. 18. ad §. 5. lib. 5.

ptembris, quo executioni mandata fuit, celebrandam sibi apud Patres Prædicatores existimarit: quod convivium omnibus Quæstionis Lusitanæ Ministris ære suo sumptuosissmum dedit. At non diutius tanto gaudio convivatori Pereiræ frui licuit. Non multo post supplicium Malagridæ, in tam tabidum morbi genus incidit, ut omnes & domesticos, & necessarios, etiam e thyaso Carvalhiano amicos, fœtore acerrimo, e corpore continenter emisso, cui medicina nihil opitularetur, procul a se, procul a Cubiculo, a domo tota procul arceret. In iis tamen malis non amantem ægrum una Mulier amica deserebat, eo usque dum, ingravescente morbo, jussa est in pudicitiæ publicum asylum recedere. At Carvalhius non tanta in suum illum Theologum fide, quanta cupiditate uxor usuraria fuit. Rem satis præclaram Pereira relinquebat, eam, quæ fiscum exhaustum nonnihil juvare posset. Carvalhius, nescio quod æs alienum causatus, quod ærario Pereira debuisset, omnia mortui Pereiræ sui bona fisco addicenda curavit. (*a*)

§. XCV.

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 15.

§. XCV.

Quæsitor Mansilha Minor, Malagridæ Damnator, est ipse legitimè capite damnatus, maleficiorum omnium reus *convictus*.

AT Minor ille Fidei Quæsitor, qui Malagridam suffragio suo Carvalhiano odio cupidè prodiderat, Joannes Mansilha, seditiosissimus Dominicani Ordinis in Lusitania Prior Maximus, jussu unius Carvalhii creatus, etsi impunitatem diutiùs, quam Pereira tulisset, tamen ad extremum ultrices Numinis irati manus non effugit.

Is, vix mortuo Rege, de sententia Reginæ Mariæ I. Fidelissimæ, per Nuncium Apostolicum Bernardinum Mutium Bussium in carcerem conjectus, cum frustra pridie ejus diei conducta jam navi aufugere (*a*) constituisset; in consilio legitimorum Judicum, causa legitime acta, reus turpissimorum maleficiorum pronunciatur: Cui ita meritissimum capitis supplicium Clementissima Regina condonavit, ut eum carceri perpetuo in pago quodam Pedragomio (*b*) apud ædes suorum Prædicatorum addiceret. Ubi utinam memor scelerum suorum ad bonam mentem reversus, vitam cum morte commutasset.

§. XCVI.

(*a*) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 224.
(*b*) Bon. Ratioc. pag. 70.

§. XCVI.

Sacerdos perjurus, in Malagridam Testis, est utroque oculo *privatus*.

SEd, missis jam Quæsitoribus, missis Judicibus, contra jus omne Malagridæ caput odio Carvalhii largitis, ad falsum testem, turpissime Malagridam criminatum, quem, a Carvalhio pro maleficiis copiose remuneratum, ultrix Divini Numinis ira utròque oculo privavit, mihi veniendum existimo.

Quo tempore Malagrida e carcere regio novo, ex tempore hæreticus, in carcerem datus fuit Quæsitorum sacrorum; ibi Sacerdos quidam jamdiu continebatur, quem & quæstus causa apud Magnates solitum terque, quaterque uno, eodemque festo die (*a*) sacris nefarie operari, & multis aliis flagitiis, ac sordibus infamem, Josephus ille Braganza, germanus in Lusitania Fidei Quæsitor summus, in vincula conjecerat. Ibi una cum Malagrida, in eodem vel gurgustio, vel cubiculo bonus ille Jesu Socius Petrus Hemmesius retinebatur.

At plurimum sua interesse Carvalhio statim visum est, si Malagridam noto illo Socio privaret,

(*a*) Bon. Ratioc. pah. 27.

ret, si pro Hommesio alterum cubiculi socium, nefarium istum Sacerdotem, sufficeret. Quàm porro improbo id totum fieret consilio, brevi res ipsa declaravit. Duo enim in eo sibi proposuerat Carvalhius, quæ hac ratione expedire voluisse, nemini mox planum non fuit. Alterum; Ut ipse Quæsitoribus illis suis, si non fidem, at fucum saltem facere probabilem videretur, dum contenderet; Scripta nomine Malagridæ illis ipsis oblata, ea ex testimonio, & perjurio novi contubernalis re ipsa fuisse a Malagrida composita: (*a*) hoc enim perjurus ille Sacerdos, a Carvalhio totus factus, & instructus, mox fuit mentitus. Alterum, ut ex ore illius impudici testis Malagrida, jam senior, impudicitiæ reus denunciaretur. (*b*)

Quæ extrema Carvalhii malitia fortasse latuisset, nisi qui insontem Malagridam, reus ipse Sacerdos omnium flagitiorum, perjurio suo perdidisset, unus ipse in eadem illa ferali pompa, qua ad Rogum Malagrida ducebatur, (*Actum Inquisitionis* vocant) cum aliis 52. (*c*) reis *nocentibus*, *convictis*, & *confessis*, candidum cereum, veluti purus, & insons criminis, manu gerens,

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 128.
(*b*) Ibidem pag. 21. & seq.
(*c*) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 243.

rens, (a) per ora hominum traductus, non modo impunitatem esset assecutus, sed, auctore quoque munifico Carvalhio, prope Ulyssiponem opimo Sacerdotio, (b) atque Paræcia donatus illico fuisset.

At mox mentitum testem ultor perjurii, Deus, ea pœna affecit, ut, eum vulgus cum brevi uno, alteroque oculo captum videret, palam, aperteque creparet; meritas pœnas cœcum testem dare, qui visa ea a se in Malagrida diceret flagitia, quæ ipse in se assiduo, in illo nunquam oculis suis vidisset.

§. XCVII.

Norberti Ex-Capuccini Vita fœda, Mors *fœdior*.

A Cœco, ac nefario Sacerdote Lusitano ad illum excucullatum Fratrem, rasum, depilatumque Capuccinum accedo. Is, qui malorum Malagridæ maxima pars fuerat, atque id, non tam ut mensuram scandali in Lusitania expleret, quam ut omni genere calumniæ, flagitii, sceleris, perfidiæ, impietatis, auspice teterrimo Carvalhio cumularet; illud in se tandem ex-

(a) Bon. Ratioc. pag. 27.
(b) Ibidem.

pressum retulit exemplum, quod in illo profano Judæorum Sacerdote Jasone olim abominata vel ipsa Synagoga fuisset (2. Mach. 5. 8.) „ Qui calumniarum suarum finem confusionem accepit, & profugus . . . fugiens de Civitate in Civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum, & execrabilis . . : peregre periit. " Nam quæ Norbertus in Malagridam sit nefarié molitus, ea quidem non latent omnia: quæ vero crimina, flagitia, scelera, sacrilegia præcipiti quodam furore, & audacia in Asia, in Europa tota admiserit, ea neque universa cognita habemus, neque paucis, quæ novimus, exponere poterimus.

Ulyssiponem jussu Carvalhii accitus ille ordinis sui religiosissimi Proditor, primum ex cerebro ipse suo sartaginem illam *Assertionum* impiarum peperit, quas in scriptis Malagridæ omni errori vacuis, invenisse se pejerabat. Deinde *Vitam S. Annæ*, *Historiam Imperii Antichristi*, totam a se malitiose commentam Malagridæ improbe suppositam largiebatur, quam totum esset ipse commentus. (*a*) Tum illa *Acta Judicialia* in causa Malagridæ, maximam certe partem, (*b*) idem ipse cœcus animo, omnino judicii expers, sine sensu communi, sine conscientia, sine ullo

pudo-

(*a*) Animad. 3, ad vitam P. Correæ pag. 229.
(*b*) Ibidem pag. 231.

pudore in monstrosam quamdam speciem confinxit. Postremo. *Historiam* Causæ totius Malagridæ, atque extremi ejus supplicii in vulgus idem Norbertus, edendam, trophæum scilicet calumniæ suæ curavit. (a)

In quo nec possum non vehementer sapientissimum Numinis justissimi consilium venerari; nec temeritatem Carvalhii extremam satis admirari. Videtur enim Deus illud sibi proposuisse, ne qua veritatis species in ea fabula Malagridiana imperitas hominum mentes perstringeret, qui Norbertum ejus auctorem, calumniæ notissimum ubique artificem esse pateretur. At cœcum odio Carvalhium id plane non vidisse, miror, si semel Norberti opera in Malagridam uteretur, fore, ut, quæcumque famosus ille circulator scriberet, ea apud omnes suspecta, apud prudentes vana, apud meliores rerum æstimatores artificiose mentita, haberentur.

Quam enim fidem cuiquam mortalium faceret novus iste, ac plane monstruosus nostræ ætatis Proteus? Is, qui alibi Abbas Curchius, alibi Perisotius, alibi Platelius, alibi Piterius, alibi Globertius audiret? (b) Is, qui, cum natus reipsa in Lotharingia, iratis Divis, hominibus-

(a) Anecd. Ital. tom. 2. p. 245. Et Bon. Ratioc. p. 2.
(b) Ibidem.

busque, fuisset nunc se patria Britannum, nunc se Batavum, nunc se Borusianum, nunc se Lusitanum, nunc se Helvetium palam mentiretur? (*a*) Is, qui sacris Ordinibus initiatus, qui apud Indos saltem nomine, Missionarius Romanus, jam se mercatorem, jam se Cauponem, jam se peristromatum Babyloniorum Propolam profiteretur? (*b*) Is denique, qui ita pudorem omnem, ita boni viri honestatem cum fide conscientiæ abjecisset, ut ubicumque gentium, ac locorum vagus, assiduusque peregrinator moraretur, ibi præsto, ibi ad manum, ibi ad flagitiosas vitæ turpissimæ delicias paratas haberet propudiosas mulierculas, (*c*) quas totidem Fratrum suorum (*d*) Filiolas mentitus, pro concubinis haberet?

Ergo ad extremum in Hollandiam (*e*) profectus facinorosus Norbertus, turpissimam ibi vitam, omnibus invisus, intestabilis, execrandus, cum turpiore morte commutavit anno 1770. Nec enim satis certo illud solatiis nobis reliquum videmus, ut assentiri possimus, teterrimum illum ab religiosa professione transfugam Parisiis in Cœnobio Capuccinorum, (*f*) in via S. Hono-

rati;

(*a*) Ibidem (*b*) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 245. (*c*) Ibidem pag. 246. (*d*) V. pag. 314. (*e*) Bon. Ratioc. p. 2. (*f*) Anecd. Ital. pag. 249.

rati posito, ad sanam mentem reversum, non sine salutis æternæ spe, animam morbo profudisse.

§. XCVIII.

Indignatio publica in Carvalhium, vix mortuo Josepho *Rege*.

Reliquus nobis est Carvalhius, totius tragædiæ crudelissimus Artifex, in quem æternus ille Vindex maleficii, sceleris, sacrilegii, impotentiæ, impietatis, perjurii, tyrannidis, Deus, vim suam non ordinariam videtur ostendere voluisse, qua Libani altissimas quasque Cedros dicitur in sacris Libris (Ps. 28. 5.) confringere Dominus voce sua solere.

Est quidem in omnium manibus *Carvalhii Vita*, eaque non semel summo novorum librariorum studio typis recusa, sæpius etiam novis in posterum accessionibus recudenda; majore verò Europæ totius cupiditate legenda, si jam judicata Carvalhii causa e tabulariis Ulyssiponensibus, ubi adhuc potentia ejus amicorum suppressa retinetur, prodiret: quamvis si amici partim arctissima custodia etiam nunc coerceantur jam abesse; sed si semel publicam lucem aspexerit, in quam votis omnium populorum jam pridem evocatur, erit mira scelerum copia cumulanda.

Ego

Ego ex illa summam faciam eorum flagellorum, (sunt enim multa flagella peccatoris, divina manu inusta Ps. 31) quæ extremo vitæ tempore ille sensit in se, divinitus incussa. Primum enim vix e vivis Josephus Rex (cujus ingravescentem morbum Medici a Regina Maria Anna Victoria jussi, Carvalhium studiosissime celassent) abiisse 24. Februarii 1777. Ulyssipone enunciabatur; cum Urbs tota furore, ac tumultu in Carvalhium debacchari, palam uno omnium ore Tyrannum sibi ad uncum, ad supplicium præsens deposcere. In ejus Imaginem ad stylobaten statuæ (*a*) equestris, in foro commercii positæ, ex ære magnifice, affabreque conflatam, (nec enim indicta causa Tyrannus, qui multa Civium millia indefensa, inaudita crudelissime esset insectatus, a Regina populo dabatur) odium flagrantissimum convertere; effigiem Carvalhii & saxis, & luto, & fœdissimis sputis, omni denique ignominia, dedecora, ac probro impetere, invadere, labefactare. Res eo jam loci processerat, ut ad sedandam plebem Regina Maria Francisca de multa nocte amoliri Carvalhii Imaginem jusserit, eique insigne Urbis Regiæ signum, quæ Navis est his notis insculpta S. P. Q. U. supponendum curaverit.

Nihil

(*a*) Animad. 3. ad vitam P. Correæ pag. 287.

Nihil opus erit profecto, quanto Carvalhius animi mœrore, quanta acerbitate, qua gliscentis vindictæ rabie eam ab odio totius Urbis profectam ignominiam acceperit, a nobis commemorari. Unum hoc non premam silentio: eum luctu, rabie, ægritudine, insania perditum, in maximo fortunæ beneficio habuisse, quod sibi jussu Reginæ omnino necessarium fuerit, veluti teterrimo lupo, in cæde tantum non comprehenso, ab aula, ubi intoleranda dominatione superbiebat, & ab Urbe Regia, (in qua 27. annos per vias omnes (*a*) quadraginta stipatoribus regiis, turmis equitum circumdatus, tympanis strepentibus, (*b*) rheda vehi solitus fuerat) Pombalium, in Vicum illum suum, turmæ militari traditum, exilii causa se recipere, ut undecumque infestas civium manus eo præsidio tectus effugeret.

§. XCIX.

Carvalhius mœrens videt, octingentos, a se vinctos, a Regina *solvi*.

DEinde quis non videat, Carvalhio paulo post in animo dolorem exarsisse, suppliciis om-

(*a*) Bon. Ratioc. pag. 72. (*b*) Brev. Hist. pag. 415.

nibus acerbiorem, cum e teterrimis gurgustiis, e lautumiis, e barathris illis suis, jubente Regina, emitti intra dies paucos ad octingentos homines (*a*) (Jesu vero Socios (*b*) octoginta) videret, quos ille, & innocentissimos, & optimos, miserrimis in vinculis, in tenebris horridioribus, in ærumnis omnibus tot annos, vel mera tyrannici animi libidine, vel odio plusquam tyrannico excarnificatus fuisset? Cum omnium Civium clamores, gemitus, complorationes, diras teterrimas in se erumpentes audiret, quo primum die libera tot innocentium civium capita, situ, squalore, fame, sordibus fœda, vias, compita, ædes suas, quas nunquam revisuri sibi miseri homines antea viderentur, quasi ab inferis rediviva conspicerent? (*c*)

Jam quanta, quam libera populo indignatio, quantus Carvalhio intimis sensibus cruciatus accederet, cum palam compertus, ille certusque rumor increbescere cœpit, eorum facile numerum, quos in vinculis & pædor, & carcerum fœditas, & ærumnarum vis, & fames confecisset, fuisse *novem millium* (*d*) sexcentorum (*e*) quadra-

(*a*) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 219.
(*b*) Adnot. ad vitam P. Correæ pag. 285.
(*c*) Anecd. Ital. tom. 8. pag. 222., & in vit. P. Corr. p. 282.
(*d*) Animad. 3. ad vitam. P. Corr. pag. 287.
(*e*) Ex declaratione Trium Judicum, a Regina in causa Carvalhii præpositorum compertum fuit.

quadraginta Civium, quos inhumanissima rabies, & immanissimus furor impotentis scribæ, ac furentis commentariensis perdidisset?

§. C.

Causa Regicidii iterata, omnes a Carvalhio damnati Innocentes *declarantur*.

AT ea initia dumtaxat fuere eorum malorum, quibus Deus pœnas a Carvalhio repetere constituisset. Nam cum per supplicem libellum Alornius Marchio, eorum Magnatum Procurator, (a) quos Regicidii excogitati crimine Carvalhius iræ suæ devovisset, a Fidelissima Regina postulasset, ut eorum causa in integrum restitueretur; Cum præterea Joannes Guzmanius, olim in Jesu Societate Assistens Lusitanus, eidem Reginæ (b) alterum libellum supplicem offerendum curasset nomine sexcentorum amplius Civium, qui lusitanæ Jesu Societatis infelices reliquiæ agerent procul a patria sua, quo furor insanientis Ministri eos quasi immani procella naufragos, ejecisset; Fidelissima illa Regina non ignara mali, quod intentatum sibi sæpius a Carvalhio sensisset, miseris succurrere, parata, po-

(a) Hic pag. 12. (b) Hic pag. 17.

stulatis æquissimis & Alornii Marchionis, & Guzmani Assistentis annuit; quæstionem enim habendam de Magnatibus, deque iis omnibus, quos in Regem conspirasse Carvalhius dixisset, denuo decernit 9. Octobris 1780.

Ad eam extra ordinem Judices selectissimos duodeviginti legit, Triumviros Regios Ministros præterea constituit, qui Pombalium se conferunt cognoscendorum criminum Quæsitores, & Actis conficiendis præfecti. Ergo quæstione tota diligentissime in eo Judicum consilio agitata, duodeviginti illi viri gravissimi, audito jam sex menses Carvalhio, die 8. Aprilis 1781 (*a*) omni crimine, & suspicione Regicidii absolvunt eos omnes, & quos Carvalhius capitali supplicio affecisset, & quos eo nomine in vincula, in carcerem conjecisset. (*b*)

Quod porro tam grave, tam prudens, tam certum, tam manifestum judicium, si quis est, qui non aperte videat instar omnium suppliciorum, omnium cruciatuum ipsi teterrimo Carnifici, & calumniatori Carvalhio fuisse; is vel ipso sensu communi careat, vel communi sensu carentem sibi Carvalhium effingat.

§. CI.

(*a*) Animad. 8. ad vitam P. Corr. pag. 289. (*b*) Ibidem.

§. CI.

Carvalhius a Triumviris interrogatus infinita maleficia *confitetur*.

AC ne tu, mi Bolane, cum Carvalhianæ factionis fauctoribus, quos ei & impietas, & odium in Jesu Societatem innumeros dederat, eo confugias, ut innocentiam Carvalhii, si Divis placet, duodeviginti Judicum sententia oppressam dicas; accipe paucis ab ore ipsius Carvalhii eam scelerum suorum omnium confessionem, quæ per tot annorum spatium commisisse, haud temere arguebatur. Etenim Triumviri illi Regii Ministri, qui in Carvalhii diuturnam administrationem inquirere ex præscripto regio jubebantur, Pombalium ad Carvalhium se conferunt. Ille de causa tota interrogatus, initio crimina inficiari omnia, deinde plane convictus, impudenter pejerare: ad extremum & infinitis testibus, & pluribus monumentis, chirographis, & litteris suis (insciente penitus Rege) scriptis, & vi suæ ipsius conscientiæ victus, quamvis nunquam tormentis urgeretur, plane diutius veritati obsistere non posse: Infinitam vim calumniarum, scelerum, maleficiorum, proditionis, perfidiæ de se confiteri: homicidia, sacrilegia,

gia, crimina etiam occultissima, a se prope innumera commissa, aperire. (a)

§. CII.

Carvalhius, Jesuitarum Calumniator Judiciales Interrogationes, separatim ad Jesuitas spectantes, *subit*.

Atque ego quidem sæpe miratus Providentis Numinis consilia, mecum ita loquebar: nonne plusquam satis fuisset, si Carvalhius eductos e carcere Jesu Socios, quos cane pejus, & angue semper ipse odisset, vinculis solutos, in honorem pristinum, & amorem Civium restitutos aspiceret? Nonne plusquam satis fuisset, si Carvalhius Sociorum innocentiam, commentitia conjuratione a se oppressam à Judicibus duodeviginti declaratam, patefactam, compertam audiret? Nonne plusquam satis fuisset, si mendacii convicta improbitate, detectaque ei larva, tantæ turpitudinis notam in fronte ipse sua gestare se videret?

Non sane ita visum Sapientissimo Vindici sceleratorum, Deo, qui illud sibi proposuerat, ut in jus vocatus Carvalhius quæstiones nominatim de

(a) In libel. supp. ad omnes Princ. pro Soc. Jesu pag. 73.

de rebus in Jesu Socios a se gestis subiret; ut Acta judicialia, in ea causa Jesu Sociorum, conficerentur; ut ad redendam rationem præcipuarum saltem earum rerum, quas ille in Jesu Socios constituisset, a Triumviris, criminum suorum Quæsitoribus, cogeretur; ut denique, quod illi morte acerbius, atque horribilius esset futurum, capitis sententia in se a Judicibus pronunciaretur propter illa etiam scelera; quæ in Jesu Socios crudelissima admisisset. Ecce vero Capita Quæstionum: a Regina Fidelissima Criminum Quæsitoribus data. (*a*)

Judiciales Interrogationes ad Jesu Societatem Lusitanam pertinentes.

I. QUam ob causam contra omne jus, divinum, & humanum, nunquam audiit, vel interrogavit (Marchio Pombalensis) vel unum e Jesuitis gravissimis de criminibus, queis eos falso, nec sine calumnia, per ora hominum traduxit, viam, ac modum se defendendi omnem iis impediendo?

II. Cur jussit palam fieri in Appendice, quam noto satis libello (*Brevis Relatio*) adjunxit, Italicam

(*a*) Relata a Theophilo Amedeo Murr. in Diario Litter. & artium lib. 10, p. 152., edito Norimbergæ anno 1781.

licam in linguam verso, typis edito; ac Romæ totam per curiam disperso: Jesuitas præcipuos extitisse *Auctores Seditionis* Portucellensi in Urbe, vinariam contra Societatem, ab alto Durio appellatam; licet missi illuc *Ministri*, *rem hanc inquisituri*, *affirmarint*, se ne levissimam quidem suspicionem hosce contra Religiosos invenire potuisse, adhibita etiam omni diligentia singulariter sibi idcirco commendata?

III. Quare eadem in Appendice divulgavit, Jesuitas, qui Familiæ Regiæ erant ab obsequiis, universam subdolis suis molitionibus *perturbasse Aulam*: Cum tamen, hi ipsi anthoritatis maximæ testes possint adducere, asserturos, ministeria sibi præstita ab iis fuisse, absque levissima fidelitatis, reverentia, debitaque augustæ huic domui existimationis offensa?

IV. Qua de causa, quibus nixus probationibus, de Jesuitis sinistros hos sparsit rumores, quod *Negotiationes* exercerent, quòd argentariam facerent, quod pecuniam collybo exponerent ad thesauros, qui nunquam apparuere, accumulandos; Instigando insuper Cardinalem Saldanham, in lucem ut proferret infamem libellum, ingenii Carvalhiani, (uti inter omnes constabat,) plurima ex parte criminosum opus, in quo illis objicit & pecuniæ permutationem, & prohibita Clericis commercia? Quæ tamen objectio

tam

tam falsa extitit, ut ipse Cardinalis, a Provinciali Moderatore Joanne Enriques requisitus, fortiterque, ut diceret, compulsus, ubi, quibus in mercibus, quomodo, hi tanto cum pravitatis exemplo, tamque nefario religiosæ disciplinæ contemptu fierent negotiandi actus, ad hos quamprimum tollendos; ei monstrare haud potuerit rem, ne levi quidem culpæ obnoxiam:

V. Quam ob rem, & quem ad finem tam importuna & postulatione, & comminatione *coegit* Cardinalem Josephum Manoel de Atalaya, ut (id quod iniquum erat) juberet, abstinere Jesuitas munere tam concionis habendæ, quam Confessionis excipiendæ: Cum tamen idem Carvalhius coram conscientiæ suæ arbitro, aliisque tunc præsentibus contrariæ voluntatis testationem interponeret inquiens. „ Se non modo quærelarum nihil contra Jesuitas habere; sed eorum doctrinam, bonum exemplum, vitæque integritatem magni semper æstimasse "?

VI. Ut quid ausus est in edita contra Nobiles sententia tres nominare *Jesuitas* (Malagridam, Mathos, Alexandrum) *criminis Socios*, aut *suppositæ Conjurationis Auctores*? Nec interrogatos, nec auditos, nec cum illis Reis comprehensos; sed primò scriptam post Sententiam, paucis prius horis, quam hæc iis, qui supplicio fuere affecti, significabatur?

VII. Qua ratione potest asseverare, quod Dux de Aveiro frequenter Jesuitas inviserit; quod ii illius revisendi gratia crebrius venerint; quam sermonis materiam his in conventibus habuerint? prout asseverat tum in Sententia, tum chronologica (a) in deductione, non sine perspicua falsitate, cognita & vicinis omnibus, & non paucis aliis, qua Ducis, qua Jesuitarum domicilia frequentantibus; accedente pariter famulorum quorumdam testimonio, qui in tormentis, quibus subjecti erant, interrogati, calumniæ huic contradixere. Ad hæc qui fieri potest, ut sciatur, quod colloquium secretis hisce in congressibus (si tales, prout interim largimur, revera extiterint) inter se instituerint, Jesuitis non interrogatis, neque hoc de argumento, sicut nec de alio quodam, auditis?

VIII. Quo pacto Dux, aut Servorum quispiam asserere poterat, quod ille ipse Dux se ad *Collegium S. Antonii* contulisset, Patrem Timotheum de Oliveira consulturus, ubi hic Pater regio jam a servitio amotus, semper *Domûs S. Rochi* incola, numquam amplius Collegium supradictum petiit?

Pa-

(a) Huic misero, ac pudendo Scripto, informi, atque infami nomen suum coactus fuit dare Doctor Joseph de Siabra præpotentis Carvalhii furore. Animad. 3. ad vit. P. Corr. p. 196.

Pari modo veritatem infringit Carvalhius, dicens, P. Josephum Perdigao esse a Duce quæsitum in domicilio a Professis nominato, qui Collegium, Sancto Antonio sacrum, incolebat.

IX. Quæ res, quod crimen eum (Carvalhium) impulit, ut tot per annos in plenis horrore carceribus (quæ inhumana fuit crudelitas) tantum detineret Jesuitarum numerum, non modo in hoc Regno degentium, verum & eorum, qui ex Africa, ex Asia, ex America capti, aliorum Principum imperio subditi advenere, rerum, quæ in Lusitania contigerunt, prorsus omnium ignari? (a)

X. Quæ causa, cur judiciariæ Nobilium actioni non addiderit Ducis (Aveirensis) retractationem, (quam auctoritate munitam habuit fidelissimus Rex Petrus III.) qui magna contendebat voce, instabat, urgebat, ea ut acciperetur? Imo ipsa in quæstione, cum corporis dolore facta, etiam num insistebat, falsum esse confitens, quidquid præ metu de Nobilibus consanguineis suis, quiquid de Jesuitis asseruisset.

XI. Quæ hæc rationum momenta, non modo non cohærentia, sed maxime disjuncta, atque contraria? Quando ait „ Jesuitas sceleratissimam

 ini-

(a) P. Carolus Preikil Pragensis P. Kauleu Coloniens. PP. Ranceau, & Delsart. Galli; P. Wolff. ex Silesia, aliique Florentini, Genuen.

iniisse conspirationem (sic in sententia, sic chronologica in deductione Josephi de Seabra de Silva, latiné reddita ab Antonio Pereira Figueridio anno 1771.) *idcirco*, ut Dux *Regni gubernacula* obtineret. " (*a*) Et alibi inquit „ ut Jesuitæ imperium fundarent Jesuiticum „. Et alio asserit loco " Ut Reginæ Dominæ nostræ, tunc Brasiliæ Principis, matrimonium perficeretur. Ac alio item loco (oblitus, mendacem oportere esse memorem) " hos ipsos Patres Societatis conjugio huic restitisse, atque ad hoc impediendum in Collegio S. Antonii abscondisse Pontificis permissionem, quam ad hunc finem Joannes V. jam ex Urbe adesse voluit „. Sed Rex idem Romanam hanc concessionem Religiosis hisce in Ædibus jussit conservari aliis cum scriptis, & bene multis, a P. Carboni ibidem defuncto relictis; id, quod Joannis V. Successor Josephus Petrus haud ignorabat.

XII. Quid est, cur odium adeo acerbum in Societatem Jesu, eamque innocentem conceperit? quo accensus, potentia, quæ illi erat amplissima, abutendo, ipsam & in hoc Regno, & in aliis tam inique, tam crudeliter est persecutus; primo

---

(*a*) Hæ juris Præsumptiones, quantumvis plene probatæ, non satis, sunt ad pœnam Capitis pronunciandam: Satis ne sunt arbitrariæ, & confictæ? Ex Glossa V. Illorum in c. venient s. de Restitut. Dian. in sum. v. Inquis.

mo, ut iis viam ad Regis Josephi justitiam, ac Clementiam obstrueret omnem; Secundo, ut cunctos, qui Jesuitarum causæ faventes, pro his loqnebantur, perterrefaceret; Tertio, ut scripta calumniis refertissima (horum quœdam Majestatis Fidelissimæ nomine non sine offensa Augustæ hujus Personæ gravissima prodierunt) in vulgus spargeret: Quarto, ut complures jam verborum lenociniis, jam promissis, jam auro corruptos, incitaret, ac pelliceret ad conscribendum mordaces satyras, litteras sanguinolentas, libellos infames; Quinto, ut nonnulla his e scriptis (quæ verbis in res divinas petulantibus, & injuriis scatebant) adprobaret, laudaretque, uti patet in Opusculo non satis abominando, cujus fabricator Angelum inducit Custodem, Æterno cum Patre talia loquentem, in ore vilissimi etiam Scurræ haud ferenda:

Sexto, ut Societatis Institutum, 'vivendique præscriptas juxta Sanctiones methodum impupugnaret, ut probris istud laceraret; Septimo, ut in medium afferret mendacia, contumelias, falsa testimonia, hæreticis e libris ab Ecclesia damnatis, ac sexcenties jam refutatis deprompta; Octavo, ut verba etiam Auctorum, eaque vera recitaret, quæ per ignorantiam vel non intelligebat, aut de industria, utique malitiosa, pessime interpretabatur; Nono, ut Sanctorum e Societa-

cietate cultum abolendi modum usurparet longe indignissimum: Quo circa hi Imaginem S. Ignatii abdebant, cujus Orationem propriam, & Lectiones, canonicis in horis legi solitas, abstulit; Isti S. Francisci Borgiæ Effigiem, cui ritum, titulumque Regni, Dominiorumque ejus Patroni eripuit; Alii in picturis Societatis vestem in Religiosorum alterius Ordinis habitum immutarunt (a), sicut illis contigit in Atrio domus S. Rochi expositis; Alii ipsimet in Aris sacratissimum Jesû Nomen expunxerunt, rem profanam; substituentes; Decimo, ut denique Auctorum Societatis libros, non solum culpa omni vacuos, sed & maxime religiosos, prohiberet sub idem tempus, quo aliorum librorum introductioni favebat, qui Conditores agnoscunt Deistas, Libertinos, Sectarios, doctrina referti temeraria, & veræ Fidei, & Subditorum incolumitati, & vitæ ipsorum Principum adversanti.

§. CIII.

Judiciales Carvalhii responsiones.

HOc loco res ipsa postulat, ut singulas Carvalhii responsiones, eoque, quo datæ ab ipso fuerunt, ordine, persequar. Ne tamen sim lon-

(a) S. Franciscum Xaverium cucullata Carmelitarum veste induerunt.

longior, quam instituti mei brevitas ferat, ex multis paucas modò seligam, easque tantum perstringam, quæ satis sint, ut unusquisque possit apud sese evidenter concludere, & famosum illud Regis parricidium, & decantatam conjurationem Jesu Sociorum in Regem Josephum I., totamque Regiam domum Brigantinam a Carvalhio fuisse conficta. Ergo illas quæstiones exscribam ex actis anno 1781., quæ statim ac confecta, edita, ac vulgata fuere, huc ab Amico quodam sunt ad me transmissa, priusquam ea revocari, & supprimi juberentur.

Jam ad Parricidium, quod attinet: vix dum Regina imperare cœperat, cum carceres a Carvalhio exædificatos demoliendos curavit: quo factum fuit, ut e Parricidarum carcere dimissus ille tragediæ simulator, & squalido vultu, & miserandum in modum pallido, & tanta virium imbecillitate, ut ægre stare posset, educeretur. Is cum ad Regem Petrum III. confestim accessisset, declaravit: „ Se a Carvalhio edoctum fuisse, ut æneam fistulam sine glande missili supra rhedam Regis exploderet; & mox ita fugeret, ut neque capi se valde recusaret, neque interrogatus in judicio dicere dubitaret: Se a Jesu Sociis fuisse Parricidam Regis subornatum: quod si faceret, ei pollicitum Carvalhium, eum statim & libertate, & duobus, vel etiam tribus cruciatorum

num-

nummûm millibus a se donatum iri: Se his promissis inductum, ajebat, homini morem gessisse, ejusque mandata perfecisse: Carvalhium tamen fidem suam non liberasse, meque, addebat, in carcere, exceptis paucis diebus, pessimè habuisse. "

Ex his dictis, & factis habemus in re tanta illum eundem militem, & tragediæ actorem, & calumniæ atrocissimæ ita gravem tesrem, ut ei nulla dari possit exceptio, nisi forte ab uno Carvalhio totius tragediæ Architecto. Quid ergo? De ea re Carvalhius erat scilicet interrogandus, qui, si militem hunc refellere, si mendacii arguere posset, ad meritam talionis pœnam vocandus esset miles, qui vel falsum testimonium diceret in sapientissimum olim Administrum, vel arcanam gubernandi rationem prodere auderet, & insolenter accusaret.

Ecce tibi adsunt Judices; sistitur simul miles, & Carvalhius: Age, quid ad hæc Carvalhius? Quid ad militis paulò ante dicta reponit? En ejus verba „ Ea omnia vera quidem esse; at hæc ei præscripsi, ait, ob occultam, sed jam *Compertam, atque exploratam Jesuitarum Conjurationem*, in Regem, totamque Regis familiam imperatum a me fuit, ut hic miles, e carcere dimitteretur, sed relatum mihi fuit: eum e vivis excessisse. "

Re igitur evidenter ipsius Carvalhii confessione

ne comprobata, Judices declarant, Regis Parricidium a Carvalhio omnino confictum fuisse: Militi vero innocenti Clementissima Regina pensionem assignavit, quoad viveret, quam post ejus mortem uxori suæ solvi debere decrevit.

Ad alteram deinde Conjurationis Jesuitarum in Regem, Regiamque Familiam a Carvalhio confictæ calumniam detegendam Judices descendunt, eamque paucis interrogationibus expeditam, totam explicarunt.

Postulatum a Carvalhio fuit, ut argumenta hujus Jesuiticæ Conjurationis ederet, quæ ab ipso dicebatur *jam comperta, atque explorata*: Instant Judices, ut nomina ederet Jesuitarum Conjuratorum: Inquirunt, quo tempore ordiri cœpta sit &c.

Respondit Carvalhius: „ Exordium hujus teterrimæ, a Jesuitis susceptæ, conjurationis capi oportere ab illo ipso die, quo Joannes V. Rex Fidelissimus (is obiit 31. Julii 1750.) dispensatione a Benedicto XIV. obtenta ad contrahendum Matrimonium inter Mariam Franciscam Brasiliæ Principem, & Regium Principem Petrum, (hoc tandem celebratum Matrimonium est die 7. Junii 1760.) ejusdem auctographum ab eodem Rege recognitum, & rite consignatum Jesuitis concredidit, ut illud in tuto, & secretiori scriniolo asservarent, ac majorem in modum

solliciti custodirent: Conjuratio vero conjici potest ex hac scriptura, quæ in eodem scrinio inventa est.

Conjuratio exequenda est hoc ordine: Occidendus est Rex Josephus I.: In ejus locum sufficiendus est Regius Princeps Petrus III.; Dein interfecto Petro III. & omni Regia Familia, unus e domo Tavoræ Rex Lusitaniæ salutandus est. Joannes Enriquez, (a) Joseph Moreira, (b) Timotheus Oliveira, (c) Gabriel Malagrida, & Joseph Perdigano. "

His recitatis, cum alii Judices rei atrocitate obstupescerent, unus eorum (Vice-Comes Pontelimanus) legatur, inquit, hujus scripturæ clausula, ex qua vel imperitissimus quisque, ac de his rebus minime edoctus summam Jesu Societatis innocentiam, & Carvalhii evidenter calumniam oculis ipsis viderit.

Proh mortalium ingratissimi! Post hanc tam magnam existimationis, fiduciæ, amoris erga eos sui, testificationem, qua dare non poterat Rex Fidelissimus Joannes V. majorem, eo usque se effundit effrænata sceleratorum istorum hominum iniquitas, ac perfidia, ut in ejusdem Regis benemerentissimi Familiam universam conjutare,

(a) Qui fuit Provinciæ Moderator.
(b) Regis, & Familiæ Confessarius.
(c) Mariæ Franciscæ Præceptor.

rare, eamque perdere omnino non exhorrescerent. Huc usque Scriptura illa.

Ibi prudentissimus Vice-Comes? Quid quaeso de hac Scriptura nobis a Carvalhio exhibita dicendum putatis? Meo quidem judicio scriptura ista, ut uno verbo dicam, tota quanta est, Carvalhium olet; tam enim est absurda, tam inepta, tam plena mendaciorum, rerumque inter se pugnantium, ut, etiamsi uni Carvalhio credere velimus, ad hos Jesuitas condemnandos non modo nihil sit valitura; verum etiam pro satis perspicua eorum defensione, atque innocentiæ declaratione sit futura.

Qui enim fieri potest, ut illimet ipsi homines conjurati, (nisi insaniant) sese uno, eodemque tempore, & indignam conjurationis scripturam conficiant, & in eadem ipsa scriptura hoc iniquissimum facinus tam gravibus verbis, tantamque reprehensionem continentibus, redarguant, improbent, ejurent?

Atqui minime adhuc probatum est, hujusmodi Sacerdotes, cum viventes, (*a*) tum vita functos, insanos fuisse, neque animæ suæ adeo negligentes, ut quidquam illicitum facere vellent, neque animo tam impudente, atque effrænato fuisse, ut Regiam domum Brigantinam, quæ eis

(*a*) Vivit, dum hæc scribo, Timotheus Oliveira.

carissima erat, perdere vellent; & luctuosissima, quæ inde necessario erant Lusitaniæ mala eventura, impottare: nisi vero eos quavis bellua, quamvis crudelissima, multo crudeliores fuisse (quemadmodum certo constat fuisse eorum accusatores) nobis fingamus: cum omnibus constet, eos ipsos magna potius usque modo pietatis, sapientiæ, fidelitatis laude floruisse.

Si igitur nemini licet de ullo homine (multo minus de hujusmodi religiosissimis Sacerdotibus) tam male sentire, tamque horribilem in modum opinari, quoad tanta improbitas efficacibus aliis argumentis in judicio probata non sit; jam nunc oportet, afferantur acta judicialia, quæ ad plenam hujus scripti cognitionem hic evolvere, & coram lectitare oportet.

At hujusmodi acta nulla sunt, nulla reperiri nobis significatum est: ubi asserventur, quæsivimus: Respondit nobis Carvalhius: Quæ tandem acta mea manu, jussu Regis, omnia combussi. Quid? Interrogati fuere de hujusmodi scriptura Jesuitæ conjurati? Nemo unus: id quod fatetur Carvalhius.

Et tam indigna, & infamis scriptura non ipsa fidem certam faciet, totam ad libidinem, jussu Carvalhii exaratam fuisse? Non clamabit, ab iis, qui manum alterius mentiri, atque affabre imitari norunt, Jesu istorum Sociorum nomine sub-

scri-

scriptam fuisse ? Non evincet, eam incredibili audacia in eodem secretiori scrinio Carvalhium supposuisse, ut ea tota secundum hominum sensum demonstrationis vim, evidentiamque obtineat.

Sed quid opus est hujusmodi argumentis? Testem habemus omnium locupletissimum, Carvalhium ipsum, cui proprium, & familiare erat artificium, dolos invenire, fallacias nectere, & architectari. Dic vero Carvalhi ? Tua ne manu sunt hæ epistolæ " (ostensæ illi fuerunt quamplurimæ epistolæ, aliæ ad Aulam Gallicanam ultro, citroque scriptæ : aliæ ad Hispaniæ Ministros: aliæ Londinum missæ) „ In his affirmas: te sensim, ac pedetentim Regi Fidelissimo persuadere conatum istam Jesuitarum conjurationem in ejus caput factam, tandem aliquando ope illius scripti ab Rege obtinuisse de expellenda Jesu Societate Decretum, quo, quasi palma lemniscata tantopere triumphabas . "

Tunc Carvalhius quandoquidem, inquit, manifestissimis rebus teneor ; „ confirmo : me quidem Jesuitas plurimi fecisse, eosque & doctos, & pios, & imperio utiles esse, & semper fuisse, mihi constare : quæ vero ad eorum perniciem, & ruinam me constat egisse, ea me omnia jussu Ministrorum exterorum ; tum viventium, tum vita functorum, potissimum vero Ducis de Choi-

Choiseul egisse confiteor, ut ex ipsius epistola, qua de morte Delphini me edocebat, omnino liquet.

Ad Jesuitas item delendos cum religiosos me nonnullos impulisse fateor, tum eos potissimum duos, alterum illum libelli famosi scriptorem Lusitanum (N.), alterum ejusdem libelli interpretem Hispanum (N.); Generalis Riccii manum mentitos, qui Ricci mandatum commenti; ad libidinem suam ex Hispania Romam mitti non sine opera certi cujusdam conscii N. N. curaverant, & dedita malitiosè opera in via intercipi: Alios etiam, ajo religiosos finxisse, & divulgasse ex scripto fabulam de Republica Paraquaria, & Nicolao I. Rege Jesuita; sparsis in eam calumniam nummis. Tres potissimum in Hispania Sæculares, ajo N. N. N. ex compacto tumultum excitasse; quem Jesuitis adscripserunt, ut Rex Carolus III. quàm citissimé eos e Regnis suis expelleret.

Ad abolitionem universæ Societatis a Clemente XIV. obtinendam confirmo, sex homines primarios N. N., plures vero minoris subsellii, alios Romæ gratiosos, opem contulisse suam: " Quæ cum indicaret Carvalhius alios nominabat, alios iis coloribus, & lineamentis depingebat, ut nemo dubitare posset, quinam illi fuissent.

" Expensa, ajebat idem Carvalhius, ab ærario Lusi-

Lusitano pro hac abolitione fuere triginta decies centena millia cruciatorum nummum: & ipsa quidem Chirographa (quibus singuli nominatim fatentur mercedem iniquitatis, vel se tantum recepisse, vel pensionem singulis annis, quoad viverent, assignatam sibi habere) in meo tabulario numero decimotertio inveniuntur. "

Quæ ego præteribo nunc, alius, opinor, proferet. Ubi vero ad quemdam fasciculum litterarum, quas protulere Judices, ultro, citroque londino Ulyssiponem, Ulyssipone londinum missarum ventum denique fuit, qui cunctis paulo ante mortalibus Regius Administer terrorem incutere solebat, ille ipse Carvalhius statim expallescere, animis cadere, oculis illi tenebras oriri, venas deficere, diu sine sensu ullo in sedicula illa, similior mortuo, quam moribundo, manere. Ita tunc ab incœpta de fasciculo interrogatione ab humanissimis Judicibus est cessatum.

At quid monstri in his Litteris Anglicanis scriptum esset, audivimus ex aloquio Francisci Coelii Silva ad Reginam die 13. Maii 1777. habito, quo Regni possessionem solemnissime illa creverat. (*a*)

„ Omnipotens Divini Numinis brachium irritas

(*a*) V. in vita P. Correæ pag. 303.

tas fecit implicatissimas illas tricas, atque obstacula, quominus Majestas Tua in Sponsum haberet Augustissimum Regem, qui hodie nobis magna & lætitia, & felicitate dominatur. Eadem Divini Numinis providentia effectum est, ut ad nihilum reciderent (*a*) infames illæ (Carvalhii) machinationes, quæ adversus *legitimam hæreditario jure* Majestatis tuæ sucessionem non semel attentatæ fuerunt. "

Qua ex re tota nihil admodum opus fuisse video, ut acrius inquireretur, cujusnam brachio ad eam rem perficiendam Deus uti voluisset. Si enim Carvalhius londinum scripserat, a Jesuitis effectum esse, ut ipse nequidquam decennio toto apud Regem adlaborarit, ut vel Principem Petrum perderet, vel hoc Matrimonium unquam celebraretur. " Carvalhius eo nomine obtinet Londinensem patrocinium, ut reipsa Societas aboleatur, ipse vero vindicetur; quis non videat eum in Regiam domum conjurasse? Cum potissimum Carvalhius interrogatus in judicio, sit de se confessus: Jesu vero Societas non interrogata, non convicta, non confessa, sed circumventa, & innocens, ipso Carvalhio teste sit declarata?

Tandem rebus omnibus compertis lectissimi illi Judi-

(*a*) V. Anecd. tom. 1. p. 232. num. 50.

Judices in ea causa Carvalhiana designati, uno ore sententiam pronunciant: „ Jesuitarum conjurationem in Regem, Regiam Familiam commentitiam omnino esse: Carvalhium jure meritum, in quem insigne aliquod exemplum extremi supplicii ederetur " quod constat ex Reginæ Edicto 16. Augusti 1781. a nobis mox dando.

Interea nos his actis finem imponamus; quo enim longius in funesta hac causa discutienda progrederetur oratio nostra, eò graviore bonorum omnium animus dolore conficeretur; ut ne eorum oculi lacrymas quidem possent continere. Proh Deus immortalis! exclamarent, opinor, Carvalhius & Societatis Calumniator, & Majestatis reus, & convictus, & confessus, & in judicio damnatus, mitissima relegationis pœna puniatur? Jesu Societas & diuturno exilio, & interitu mactetur? Neque hoc solum, sed ne illud quidem perhonorificum ejusdem innocentiæ a XX. Viris decretum 8. Aprilis 1781. (a) scriptum, adhuc sic promulgatum per potentiam Carvalhianorum? Usquequo (in re simili scribebat S. Bernardus) (b) Usquequo a tanta impudentia innocentia tanta vexatur, & hoc vivo Innocentio?

(a) V. in vita P. Correæ pag. 289.
(b) Epistola 109. ad Innocentium II.

Jesu tamen Societas æquo animo ubique locorum tandiu & expulsionis edictum, & abolitionis decretum patitur; qua quidem observantiæ, & venerationis testificatione, qua semper erga Regiam domum fuerit jam inde a die 17. Aprilis 1540., quo Joannes III. (a) primus Regum eam complexus (affectu non regio tantum, sed plane paterno) fuerat, nulla excogitari potest evidentior. Quin etiam in tanta calamitate ipsa sibi gratulatur, quod ea de causa sit tam graviter afflicta, ut legitimam HÆREDITARIO jure Domus Regiæ Brigantinæ SUCCESSIONEM, atque ex ea CATHOLICAM FIDEM in Lusitania tueretur; pro qua sanguinem libentissime profudisset, ne artibus Carvalhii impiis, ibi Religio Catholica funditus periret.

§. CIV.

Carvalhius confessus per conscios Ministros est a supplicio *liberatus*.

QUæ cum tot, tam infanda, tam nefaria, tam impia facta in se proderet, ne tunc quidem a Carvalhiana, non jam impudentia, sed malitia vaferrima, etiam cum verissime

(a) Bartoli in vita S. Francisci Xaverii lib. 1. num. 7.

me loqueretur, recedebat: Quid ita vero, inquis? cum enim ille neque a simulatione, neque a dissimulatione sua opem, neque a potentia sua vim, in ipsis jam criminibus deprehensus, ullum speraret remedium sibi a consciorum suorum auxilio quærendum existimavit, quos apud omnes Regum, ac Principum aulas habuisset potentissimos.

Itaque ut impunitatem supplicii, & ignominiæ ab ipsa criminum confessione verissima obtineret, inque spem erigeretur, fore ut eorum præsidio a capite periculum propulsaret, omnemque a se calamitatem deprecaretur; nominatim eos suorum scelerum conscios, Auctores, Adjutores, Emissarios, Ministros indicavit, quos & in Lusitania, & in Hispania, & in Gallia, & Vindembonæ, & Neapoli, & Romæ potentissimos habuisset: neque vero illud reticuit, quantam etiam pecuniam ab ærario Lusitano furtim illis largitus eosdem in partes suas fidelissimos retinuisset.

Ea porro convicti Carvalhii malitiosa criminum confessio non est frustrata vaferrimum ejus consilium. Nam illi ipsi in aliis Europæ Regiis cum Carvalhio conjurati, vel quod confessionem illius rescissent, vel veriti, ne illius indicio proditi apud omnes pessime audirent, neve suis ipsi Principibus pœnas tantorum scelerum

darent; tanta opum vi, tanta contentione, tot artibus cum Fidelissima Regina pro Carvalhio agere cœperunt, ut, cum eum a teterrimo supplicio redemissent, tum etiam confessum prius omnia maleficia in Reginam parum officiosum, & insolentem immiterent. Ille quidem certe clanculum ab amicis illis suis potentissimis & monitus, & confirmatus, eo audaciæ id temporis devenit, ut libello supplici (a) apud Reginam profiteretur: Se, quæcumque in administratione sua egisset, ea, auctore Rege, omnia fecisse.

§. CV.

Intercessione Ministrorum alienorum Regina Clementissima Carvalhio indulgere cogitat.

Quæ cum ego potentiæ eorum assigno, quibus cum una Carvalhius teterrima illa consilia communicasset, non solum communem Europæ totius fidem, & consensum sequor, sed auctoritati etiam tacite ipsius Fidelissimæ Reginæ plurimum tribuo. Quin tu vides ipse, mi Bolane, quid demum sententiæ in tam crudelem, tam exitiosum, tam impium tam convictum, tam perfidum, confessumque Reum Regina eo tempore pronunciarit; quid deinde ad nostram hanc memo-

(a) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 226.

moriam silentii de Carvalhio; quid de vindicandis omnibus Magnatibus per calumniam excarnificatis; quid de Jesu Sociis, injuria ejectis, ab exilio revocandis, vel patientiæ, vel moræ servaverit.

Quid enim magis æquum, magis decorum, expectatum magis esse poterat, quam ut confessi talis rei causa in vulgus prodiret? Quid magis justum, quam ut supplicium de Lusitano illo Sejano, de odio illo populi palam sumeretur ad Civium tranquillitatem, ad Principatus securitatem? Adhuc acta illa in Carvalhium judicialia, credita illa quidem arcanis Principum consiliis, lucem tamen non viderunt. Adhuc per potentissimos alibi Ministros non placuit Reginæ, ut fama est, valde cupienti, monumenta illa proferre, adhuc ne violata in illis Magnatibus amplitudo recte, atque ordine est expiata. Adhuc Lusitanis illis Jesu Sociis non est infamia ex juris formula palam, aperteque auctoritate regia deleta.

Sed hæc tacita argumenta relinquo, quibus fit omnibus manifestum, pro Carvalhio potentissimos Aularum Regiarum Ministros patrocinium potentissimum suscepisse. Ad Reginæ Sententiam in Carvalhium illo tempore latam redeo: Illa enim die 16. Augusti 1781. hoc decretum edebat. (a)

Ego

(a) Anecd. Ital. tom. 2. pag. 227.

Ego Regina.

PRo ea Clementia, qua in immeritum Carvalhium antea fuissem usa, nunquam ab hominis audacia suspicata fuissem, fore, ut ipse in quæstione legitima, adversus se habita, ejusdem defensionem totius administrationis suæ vulgaret, in qua de multis criminibus interrogatus, tantum abfuit, ut ea purgaret, ut, denuo re tota a Judicibus quæsita, ab iis Reus judicaretur jure meritus, in quem insigne aliquod exemplum extremi supplicii ederetur.

Ego vero extremam Carvalhii senectutem miserata, & illius cruciatus Corporis, quos jure subire debebat, volo remissos, & ultra viginti passuum millia procul ab Urbe Regia abesse jubeo.

Quo Ego decreto nihil tamen de jure derogo, quod in fortunas, ac bona Marchionis Pombalii, sive vivi, sive mortui, quis habere se probet &c. (a)

§. CVI.

Carvalhius infinitam vim pecuniæ furatus, Judicio coactus est *restituere*.

EQuidem, ut debeo, Fidelissimæ Reginæ Majestatem veneratus, illud non dubitem dicere:

(a) Deus Immortalis! Quam hæc diversa de Carvalhio loquendi formula ab illa Clementis XIV. pag. 327.!

cere: Eam, cum allegationibus, cum precibus, cum artificiis multorum, pœnam Carvalhii meritam, debitaque tormenta deprecantium, clementissime subscribendum sibi prævideret; extremo suo decreto jus de repetundis sanxisse, & pœnas ab avarissimo Ministro per Cives suos exigendas tacite præcepisse.

Ita enim vero accidit, ut, edito vix Reginæ decreto, jam jam in Carvalhium a plurimis cœptum sit jure agi. Illico infinitæ publici illius Prædonis rapinæ; illico innumera furta; illico bonorum iniquissimæ possessiones in judicium adductæ sunt, atque convictæ. Quo factum est, ut a Judicibus Regiis vocatus Carvalhii Procurator, jussus sit ingentem vim pecuniæ iis, quibus esset per vim, per fraudem, per dolum ereptam, persolvere. Collegio quidem Mercatorum vestis sericæ viginti nummûm cruciatorum millia (a) Paludum vero publicis Curatoribus centum quinquaginta cruciatorum millia: (a) Jam Fisco Regio restituta sunt ducenta cruciatorum nummûm millia, quæ ab arca publicis ædificiis destinata, cum extraxisset Carvalhius, in ædes sibi construendas insumpserat. (a) Oratorianis itidem Patribus complura millia coactus est Procurator restituere, quas cum Carvalhius pecu-

(a) Animad. 8. ad vitam P. Corr. pag. 391.

pecunias nomine Regio mutuas sumpsisset, in opera, nescio quæ, publica impendendas, domum ipse suam averterat.

Ne vero, quis valde miretur istos Regii Ministri peculatus, illud potius animo objiciat, impii deprædatoris impudentissimum sacrilegium, quod anno 1778. palam fuerit ab omnibus deprehensum. (*a*) Per illud enim tempus allatæ sunt Ulyssiponem undeviginti arcæ auro, argento, gemmis pretiosissimis onustæ, quas a sepulcro, & cella Divi Francisci Xaverii Goæ palam ereptas, ad se deferendas Carvalhius præcepisset. Quo tam immani sacrilegio, tam impio, tam manifesto adeo vehementes Regina diceba-tur fuisse perculsa, ut sacram illam Supellectilem omnem, pretio, & elegantia summam, ex tempore revehi Goam ad eum, cui jam Religio populorum devoverat, Indiæ Apostolum edixerit. Sed infinitum sit, omnia hic persequi & furtorum, & sacrilegiorum genera, in quibus viginti septem annos totos Minister Lusitanus erat assidue versatus; quamobrem ea prætereunda existimo, quæ cæteroquin stomachum, nedum tædium, Lectoribus facerent.

§. CVII.

(*a*) Animad. 8. ad vitam P. Corr. pag. 299. Et Anecd. Ital. tom. 2. pag. 180.

§. CVII.

Carvalhius sine pœnitentia, sine Viatico mortuus, jacet adhuc *insepultus*.

VErum enim vero illud demum non possum non indicare paucis: sese Carvalhium ipsis suppliciis, quibus a Deo ad pœnitentiam salutarem vocaretur, obstinatiorem præstitisse. Is & infamiæ, & ignominiæ, & abjectionis insolens, eo furoris, insamiæ, atque bilis atræ processit, ut brevi, omnibus vitiatis partibus naturæ illius iracundioris, totus a vertice ad talos imos lepra obductus apparuerit; quæ scabies tam turpibus hominem totum squamis fœdaret, ut nemo ejus neque aspectum, neque sordes, neque fœtorem sine nausea pateretur.

Atque utinam flagitiosissimus, ac perditissimus homo insanabilis hujus plagæ contemplatione commotus, proximoque supremi diei sui adventu, ac jandiu instantium improbitati æternarum pœnarum metu perterritus, menti fuisset suæ redditus, sibique recte prospexisset aliquando! Verum nihilo ille secius, ac in integra valetudine, in suis indormiens flagitiis, obcœcatoque prorsus animo, neque ullo vel seræ pœnitentiæ indicio, neque Ecclesiæ Sacramentis, neque Eucharistiæ Viatico aut expiato, aut roborato; tan-

tum abfuit, ut quidquam ad resipiendum moliretur, ut ne id quidem semel in votis habuisse creditus sit; cumque tabida lues totum corpus paulatim exedisset jam, & plane confecisset 8. Maii 1782. turbidus, ac nefatius spiritus, sibi omnino constans, sibique similis, e corpore abiit, horrendum posteris documentum, quo eum impura, crudelis, impia anteacta vita præcipitem rapiebat.

Ita turpissima morte e vivis sublatus Marchio Pombalius anno ætatis suæ octogesimo tertio, cum omnibus execrandus esset, uni Conimbricensi Episcopo, Francisco Lemosio, non indignus fuit visus, cui Christiana de more justa una cum funebri laudatione publice persolverentur. Ille enim Lemosius opera Carvalhii renunciatus fuerat a Clemente XIV. Adjutor, cum jure successionis, Viro illi integerrimo, Michaeli ab Annunciatione, Episcopo Conimbricensi, in vinculis, ac custodia per summam injuriam id temporis retento, (a) Quo infami beneficio, idem permotus cum ad aras pro Carvalhio operatus esset, etiam Fratrem, nescio quem, (b) funestum potius, quam funebrem, Carvalhii

(a) Obierat 29. Augusti 1779. v. p.

(b) Anecd. Gallicè scr. edit. 2. Adnot. XI. ad lib. V. p. 343. Franciscanum fuisse, ait Theophilus Amedeus Murr. ex Ephemer. Coloniens. in Lib. Litteraturæ Lusit. edito 1782.

lhii intestabilis laudatorem esse voluit.

Ea res cum publicam Lusitanorum offensionem vulgo peperisset; Lemosius Ulyssiponem venire jussus, bene, & naviter a Regina maximæ temeritatis arguitur. Orator vero funebris custodiæ causa in Insulas Gorgodas e Regione Pormontorii Hesperii, sive viridis deportatus, sui ejus loci cœnobium pro carcere habere est coactus (*a*). Jam cum corpus Carvalhii a Parocho sepultura religiosa interdictum feretro inclusum, etsi præstitisset foras tantam pestem projicere, in impluvio Cœnobii Pombalensis Fratrum Reformatorum S. Francisci positum, adhuc ibidem jacere dicitur. (*b*)

Cum enim veniam Carvalhii Filius Comes Oeirianus ab Aula petisset, ut sibi Patris corpus in avito monumento Ulyssipone condere liceret; Administer Vice-Comes Villanovanus unquam se id passurum pernegavit eadem scilicet de causa, propter quam Carvalhius Vice-Comiti (*c*) veniam sepeliendi Patris precisè negasset qui in custodia (ejusdem jussu) asservatus e vita excessisset.

(*a*) Theophil. Amed. Murr. ibid.
(*b*) Anecd. Gallic. edit. 2. Lib. V. Adnot. II.
(*c*) Comp. Histor. expuls. Jes. ex Lusit. pag. 414.

§. CVIII.

Pii VI. palam datum testimonium adversus impiam Carvalhii immanitatem in causa Jesu Sociorum.

BOnorum nemini dubium esse cœpit, quin Josephus I. morti jam proximus ad bonam Christianæ resipiscentiæ mentem redierit, ubi primum in vulgus Oratio Pii VI. manavit, quam ille vindex sanctissimus oppressæ per vim Jesu Societatis allocutus in Consistorio Patres Purpuratos de morte Fidelissimi Regis die 17. Maii, habuisset: Sic enim ajebat:

„ Josephus impense se convertit ad ea corrigenda, quæ toto Regni sui tempore censuit fuisse minus recte præsumpta, collatisque cum piissima Conjuge Regina consiliis, voluit, ut e custodia dimitterentur, qui diuturna oblivione inclusi detinebantur, inter quos egregius ille Hierarca fuit, quem per vim jampridem constrictum, & tamdiu ab ejus Ecclesia Sponsa desideratum Rex ab amaro exemit jugo, atque Sacro Pastorum Ordini sic aliquo satisfecit honore, ut Bernardus nunc forsan repeteret: Tristitia nostra versa est in gaudium . . . Sacerdotem Domini, in quem ausi sunt mittere manum, cum honore remittunt. "

Alia

Alia quoque Rex peregit, per quæ turbatam, convulsamque Ecclesiasticam dignitatem, & in eis Levitarum munera comprehensa in pristini status decorem restituit ; hisque omnibus ostendit, quam recto fuerit corde, quantave semper Religione floruerit: Nam quidquid a vetere disciplina corruptum interciderat, non adverso illi Regis animo, sed nimiæ de proprio judicio diffidentiæ debet adscribi.

Cum vero magis magisque sensus hebescere inciperent, arcessiri ad se voluit Archiepiscopum Petrensem hujus Sanctæ Sedis in Lusitania Nuncium, ab eoque extrema Pontificiæ benedictionis officia recepit; quinimo, ut ab eo novissime gesta animo suo consentire percipiamus, asserere convenit, tacite reipsa significasse, (nam vi morbi lingua captus erat) sibi probatum non fuisse, quidquid septemdecim ab hinc annis in alium Apostolicum Nuncium fuerat nefarié commissum . . .

Sed quod ipse non potuit, a dilectissima Filia perficiendum confidit. Nos item acceptis humanissimis hujus litteris, quibus obitum Patris sui, simulque Regni successionem sibi delatam nunciavit, cogitatione nostra in eam conversa, statuimus a mæstitia temperandum: Certo enim scimus, castæ, integræque Religionis fœminam in omni posteritate futuram esse veræ virtutis exemplar Jam-

Jamque studiosè inhærens monitis a Genitore injunctis, illum Antistitem in suam restituit Sedem, pluresque extrahi jussit Magnates, sacros Ministros, & cujusvis Ordinis detentos homines, qui sub ærumnarum acervo a florenti ætate usque ad senectam contabuerant. His statim ut in aliorum conspectum prodire datum fuit non secus ac Gens nova, ac Populus redivivus, omnium oculos pervaserunt...

Sed amori, pietatique obsequuta, haud neglexit Fidelissima Regina Regni Moderatrix pro sua propensa in omnem justitiam voluntate animadvertere in aberrantes, ac noxios, eosque in custodiam duci jussit; Quos autem a sæculi potestate novit exemptos, Archiepiscopo Petrensi constringendos reliquit, ac judicandos.

Hujusce porro justitiæ, ac sacrarum legum cultus sicut sine Religionis firmitate exerceri non potest; ita ex regia voluntate a longinquis Lusitaniæ Regionibus aures nostras percellit illud Theodosii Augusti suorum in imperio Collegarum celebratum Edictum ad Populum Urbis Constantinopolitanæ, quo sancitum legimus: „ Cunctos Populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religione versari, quam Divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat. "

Propterea ex rebus hactenus gestis consecutu-

rum

rum non dubitamus, ut ab illarum ditionum finibus plurimæ ejiciantur execrabiles lucubrationes, quæ venenatas opiniones insinuant, & Dominantium Majestati insidiosæ omnium fere animos errorum fœditate contaminant.

Nos certe ad id piissimam Reginam adhortabimur, ac omnino confidimus, nostris suasionibus animum adhibituram, prout ab ea cum ipsius indolis præstantia, animi robur, & virtutis amplitudo tum publica Regni, Populorumque salus videntur postulare. Cuncta Nos invicem, quæ ad illius gloriæ, & felicitatis incrementa pertinere, atque a nobis conferri poterunt, summa semper fide, studio, benevolentiaque præstabimus &c.

Quæ Pii verba, e sinu ipso Christianæ Sapientiæ, e media Ecclesiastica historia, e luce veritatis, profecta, dum ii legunt æqui rerum æstimatores; quis illis, quæso, animi sensus succurrit? quæ mentis agitatio oboritur? Quid tandem de innocentia Jesu Societatis, de iniquitate Judiciorum Carvalhianorum sibi effingunt? Quid? mox dicam.

§. CIX.

§. CIX.

Jesu Socii Lusitani per summam injuriam *condemnati*.

ATque utinam tam præsenti, tam perspicuo, tamque atroci, ac merito Carvalhianæ factionis supplicio innocentia Jesu Societatis Lusitanæ aut levari oppressione se, aut sibi injuriæ modum aliquem fieri sensisset! sed tantæ adhuc integritati afficitur, & clarissimis jam rebus mala aliorum fraude tenebræ omni tempore, obducuntur.

Ego vero de cætero, mi Bolane, a te rogatus, hæc habui, non opinor admodum pauca, quæ dicerem de illa Societate, ex iis hausta monumentis plurimis, quæ veritas neglecta, quæ innocentia punita, quæ virtus oppressa, quæ pietas violata, per integerrimos, ac peritissimos Scriptores edenda in vulgus curavit, quibus adhuc nemo est ausus neque calumniæ malitiam, neque mendacii levitatem, neque vanitatis notam inurere. En erit unquam, o Divi boni! en erit unquam, ut alia longe, & plura, & omni exceptione majora, monumenta, testimonia litteræ, scripta jurata, chirographa, quæ in tabulariis secretis, maxime vero Pontificio Ulyssiponensi, Matritano abdita servantur, in lucem proferat ætas? Cer-

Certè ex iis, quibus nos usi sumus adhuc argumentis Tria illa a me confecta sunt, quæ mihi initio proposueram. Primum: Insontem Jesû Societatem Lusitanam mercaturæ crimine fuisse damnatam in illo judicio iniquo, illegitimo, falso, nullo illius Cardinalis Saldanhæ, cui ea juris esse dictio a Romano Pontifice interdicta.

Alterum: In illo Consilio Carvalhiano, Tribunali, inquam, *Inconfidentiæ*, a quo illi Jesû Lusitani Socii sine causæ dictione judicati sunt conscii Parricidii Regii, ab uno Carvalhio calumniosé excogitati, nunquam probatam ullam fuisse in Regem conjurationem. Tertium: Per venales Quæsitores Fidei, a Carvalhio sine ulla auctoritate suppositos, Malagridam, nullius criminis, nullius impietatis Reum, fuisse pro Hæresiarcha supplicio affectum.

§. CX.

In integrum Causa Lusitanæ Societatis ex Jure Naturæ *restituenda*.

QUæ quorsum omnia spectent, ne tu ipse quidem, mi Bolane, non apertissime vides. Ego vero non recusem etiam arbitrio tuo, quæ duo jam dicam, dijudicanda permittere. Primum: Utrum ne Lusitana Jesu Societas,

Negotiationis profanæ, Majestatis, & Religionis crimine iniquissimé damnata jure suo postulet, ut de integro sua ipsius causa legitimo judicio permittatur, cui & Judex cum auctoritate præsit, & in qua Lusitani Jesû Socii pro se dicere de more possint? An tu ipse sis Jesû Sociis negaturus eam actionem, quam Naturæ jura, quam omnium Gentium mores, quam omnium Civitatum leges cœteris hominibus non posse se negare profiteantur?

§. CXI.

Lusitanis Jesû Sociis innocentibus Status pristinus *reddendus*.

QUid hoc alterum, mi Bolane? Si in ea Jesu Societatis causa, semel in integrum restituta, constare omnibus cœperit, illam pristinam Sententiam, sive publicam, sive privatam, sive a Rege, sive ab ejus Ministris, sive a Saldanha, iniquam fuisse; Utrum tu statues? Tenerine summos Magistratus, & Sacros, & Civiles, post iniquitatem illius sententiæ compertam, judicium totum rescindere Jesû Socios in religiosum pristinum statum restituere, eos non pœna modo, sed crimine, culpa, suspicione etiam absolvere? An posse eosdem innocentissimos exu-

les

les, decessorum suorum magistratuum sive errore inculpato, sive etiam fraude, & dolo malo punitos, in iisdem malis infamiæ, inopiæ, exilii, miseriæ in æternum tempus salva conscientiæ suæ fide, deserere? Utrum tu sis arbitraturus, ipse videris. Alii quidem plerique omnes, quos pristinus ille splendor Jesû Societatis hodie neque excœcat, neque jam perstringit, illud palam, aperteque loquuntur. Eos Jesu Socios in idem illud religiosum Corpus jure suo esse revocandos.

Esto, ajunt: fuerit Ordo ille religiosus per istam potestatem æconomicam, denuo licentiæ causa, in rempublicam immissam, idest per invidiosum Ostracismum, per communem obtrectationem aliorum Ordinum, in exilium a Principibus ejectus; fuerit per armatas Scribarum preces, per supplices minas Regum nomine, potestate *Apostolica* dissolutus: quid tum postea? Ubi injuria illi Corpori illata, luce meridiana clarior in oculis omnium ipsa se prodere, ipsa apparere, ipsa clamare cœperit; non illorum Regum, & Pontificum Sucessores jure summo adigentur, ut quæ Majores sui male consuluerint, ipsi corrigant? Ut quod vulnus Innocentiæ Decessores sui fecerint, ipsi sanare moliantur? Ut quod Corpus religiosissimum, cum tanta disciplinæ christianæ jactura, cum tanto doctrinæ,

ctrinæ, probitatis, eruditionis detrimento ante illi confectum, perditum, dissolutum, extinctum voluerint; ipsi postea in hac tanta Ecclesiæ totius perturbatione, in his assiduis bene, saneque sentientium querelis, in hoc tanto discrimine religionis, pacis, concordiæ, pietatis, fidei; in ista pudenda, ac nefaria & Philosophorum, & Novatorum, & Epicureorum victoria, non tenebuntur, averruncandarum cladium tantarum causa se retexentes, illud idem, veluti e morte media revocatum, in pristinam & vitam, & salutem, & industriam, & utilitatem communem per vocem Pontificiam restituere?

§. CXII.

Vota Bonorum pro revocanda Jesu Societate in Jura *Religiosa*.

Quod, si tibi tota hæc controversia nondum liquere satis, mi optime Bolane, videatur; (neque enim de te suspicabor id, quod in nonnullis nuper observabatur, malle eos funditus perire naufragio communi, quam rursus in portu salvos Jesu Socios una secum videre, illud iterantes carmen impium, atque immane „ *Pereant amici, dummodo inimici pereant simul*: „) Si tibi, inquam, sit adhuc dubium:

Utrum

Utrum sit Jesu Societas in pristina & salutis, & religiosi status, & famæ jura per Magistratus civiles, & sacros restituenda, nec ne sit; Interroga, quæso, & Theologiæ, & Juris utriusque, & historiæ consultissimos Viros.

Quamquam quid opus est, te eos interrogare? An non audis quotidie querelas & Episcoporum, & Ministrorum Ecclesiæ Catholicæ, & omnium bonæ frugi hominum, qui, cum in suis Ecclesiis Juventutem eruditione pristina carentem videant, omne litterarum genus miserum in modum neglectum doleant, studium doctrinæ christianæ ubique imminutum, Sacramentorum frequentiam per speciem rigidioris Ethicæ desertam, populi disciplinam sensim in disolutam licentiam, a licentia in exitium probitatis, honestatis, continentiæ, modestiæ frugalitatis dilapsam iniquissime patiantur; Ipsi votis omnibus ab æterno rerum omnium Moderatore optant, iteratis precibus a Magistratibus postulant, ut remedium ab illa Jesû Societate rediviva huic tantæ temporum iniquitati, & hominum perfidiæ petunt, a qua ante, salva & incolumi, fortiter obsistendo, iter tot gravissimis malis occludebatur?

Quod si tantis clamoribus bonorum omnium aures, mi Bolane, nolis præbere faciles; fac, obsecro, Epistolam vigesimam primam Tomi quar-

ti

ti cujusdam Angli ad Dominum Caraccioli, Vitæ Clementis XIV. Scriptorem, legas: ubi Dialogum gallica lingua (a) editum inter Præsulem, & Theologum, & Conventualem Franciscanum reperies, qui te de hac re tota plane erudient.

§. CXIII.

Exempla ab Historia Ecclesiæ, injusta judicia *corrigentis*.

NEque non præsto ab Historia Ecclesiæ exempla habeas, quibus serpenti isti malo obviam iri facillime possit, si antiqua monumenta voles breviter evolvere. Vin' religiosos viros, per summam calumniam, per hæreticam coitionem e patria pulsos, rursus Auctoritate Regia in sedes patrias, in antiqua jura, in pristina ministeria, Divis hominibusque plaudentibus; videre restitutos? Non longe abieris: Legere tibi licebit in Josepho Juvencio (Hist. Soc. p. 122.) Jesu Socios Gallos 2. Januarii 1604. ab Enrico IV. Rege ab exilio, in quod eos anno 1594. Calviniana factio ejecerat, reductos.

An quod ad salutem Religionis Catholicæ Henricus,

(a) Parisiis in Typographia Joan. Vincentii de Petit in via Fratrum Conventualium sub signo S. Laurentii an. 1777.

ricus, & Nomine, & Majestate, & reipsa Magnus, sibi faciendum putavit hoc ipsum dedecere se alii Principes putabunt? Maxime cum ipsi per se experti jam sentiant, una cum Jesu Societate e Civitatibus suis doctrinam, probitatem, disciplinam castigatiorem fuisse magna ex parte exturbatam, expulsamque?

Vin' rursus, mi Bolane, perperam latam ab Ecclesiastico Judice sententiam videre optime per Ecclesiam ipsam rescissam, atque correctam? Baronius ad annum Christi 897. tibi pluribus narrabit, Joannem IX. Pontificem Maximum, probante Ecclesia tota, vindicem sese acerrimum Formosi Pontificis præstitisse, quem mortuum ab Stephano IV. summis injuriis affectum, in possessionem famæ, dignitatis, innocentiæ, revocatis Stephani Actis, ac judiciis, in quibus humana potius cupiditas, quam Pontificia potuisset Auctoritas, restituendum a se existimabat.

Quid vero illud tibi narrem de Antonio Vieria, a Quæsitoribus Lusitanæ Fidei per calumniam damnato, & a Romano Pontifice postea absoluto? Rem paucis, si placet, accipe. Biennium totum aliena culpa reus Vieria apud illos Fidei Quæsitores, ad extremum suspicione hæreseos a potentia, invidia, odio inimicorum damnatus; per libellum supplicem, Regi Fidelissimo Petro II. traditum, illud est consequutus, ut

Ro-

Romæ Clemens X. ejus causam incurrupto judicio de integro cognoscendam comitteret. Romæ ita manifesta apparuit Lusitanorum Quæsitorum injuria, ut Clemens per Litteras Apostolicas Vieriam omni hæreseos suspicione absolverit, eumque, dicat, „ Eximimus a quacumque jurisdictione, potestate, & auctotitate Ven. Fratris Petri Archiepiscopi Sindens. Generalis Quæsitoris, ac dilectorum Filiorum, reliquorum Inquisitorum adversus hæreticam, & apostaticam a Christiana Religione, Fideque Catholica in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, Auctoritate Apostolica deputatorum, nunc, & pro tempore existentium ... " Quare eum subjecit Supremæ, & Generali Inquisitioni Urbis. (*a*)

Tandem quid de libris malè censura notatis loquar? Mitto complura exempla eorum Librorum, quibus malè prius notatis, postea jus æquum redditum, deleta prioris notæ iniqnitate. Unum dumtaxat judicium proferam a Quæsitore Supremo Joanne Thoma Roccubertino male in XIV. tomos Actorum Sanctorum latum, quod deinde a Supremo ejusdem Inquisitionis Hispanæ Quæsitore Francisco Cardinali del Giudi-

ce

(*a*) V. Bullam Clementis X., *Religionis Zelus*, apud Hieronymum Mainardi p. 312., & vitam Vieiræ, Auctore P. Barros, & Bon. Ratioc. p. 138. Anecd. Ital. tom. 2. p. 242.

ce (a) infirmatum est V. Adnot. XVIII. *In causa*.

Hic, mi Bolane, profecto vides, quid in causa Malagridæ, a Carvalhianis Quæsitoribus tyranni odio proditi, & postulari jure cum consensu Regiæ Aulæ ab illius Sociis, & non nisi injuria possit Romæ negari. Verum, ne tibi videar in re & manifestissima, & acerbissima vanam historiæ cognitionem velle ostendere, ne illud quidem pluribus persequar, quod necdum oblivione per ætatem extinctum norint omnes: alios nempe Ordines Religiosos, & Servorum, & Sancti Joannis de Deo, & Scholarum Piarum, præproperato judicio prius e medio sublatos, veritate postea comperta, fuisse Auctoritate Apostolica in statum pristinum restitutos. Quæ cum ita sint, vide, mi Bolane, quid illud Bernardi (b) in causa Jesu Societatis per injuriam oppressæ, valere debeat: „ Apostolica Sedes, (& Imperium) hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. “

(a) Ejus Decretum Hispanicè editum legi potest tom. VII. Sanctorum Junii p. 34. & in Supplem. Apolog. pag. 118.
(b) Epist. 108. ad Innoc. II.

Dic, quæso, mi Bolane; quis demum est hodie, qui ignoret, jam multis ab hinc annis manifestissimam fuisse in Lusitania Jesu Societatis Innocentiam? Quis est paulo magis æquus rerum æstimator, qui non sæpissime mirari se dicat, tam male cum Jesu Sociis agi, ut, cum de sententia duodeviginti Judicum Innocentes sint omnes ii pronunciati, qui ficto Regicidii intentati crimine fuissent per Carvalhium iniquissime puniti; Jesu tamen Socii, ea calumnia in primis crudelissime vexati, nihil juris, nihil æqui, nihil boni, nihil, quod ad eorum vindicandam publicé Innocentiam faceret, sint adhuc assecuti.

Nihil ne valuisse, ajunt, ad levandas eorum hominum, eorum Civium, eorum Sacerdotum integerrimorum ærumnas, ad abolendam infamiæ notam, ad exsolvendum superstitis adhuc erroris nodum tot Judicum sententiam?

Nihil illis profuisse Acta judicialia, tam diligenter ad condemnationem Carvalhii in Lusitania confecta? Nihil auxilii tot innocentibus exulibus tulisse tot libellos supplices, publicis Magistratibus exhibitos?

Nihil admodum: Oh rem acerbam! Oh miseram innocentis Jesu Societatis conditionem! Oh victricem potentissimorum inimicorum gratiam! Oh tyrannicam Philosophiæ impiæ cum

Jan-

Janseniana hæresi coitionem! Qui injuriæ, calumniæ, tyrannidis in Jesu Socios fuerint rei & confessi, & convicti, pœnas aliquas, quamvis non sane pares Regibus dederint: Qui vero injuriæ tantam atrocitatem tot jam annos patientissime tulerint; ii Jesu Socii sub tanto pondere oppressi gemant, nullam æqui bonique partem sentiant?

Et mirentur in præsentia viri boni tantam pietatis, fidei, probitatis, conscientiæ, ac disciplinæ in re, ad Ecclesiam spectante, fieri immutationem? in re vero publica aut nullam hoc tempore obsequii, modestiæ, pacis, concordiæ, aut vix rationem haberi? In Provinciis jam plurimis palam Christi Religionem impie, ac petulanter abjurari? Seditionem ex alia in aliam Civitatem furiose grassari?

Scilicet illud est: Fundamenta terræ concutientur: (Psalm. 81. v. 5.) ubi ultor injuriæ publicæ Deus pœnas ab iis repetat, qui inopis causam negligant, qui potentiam publicè in miseros grassantem non reprimant, qui salutem Piorum, qui Religionis Amplitudinem, qui Ecclesiæ felicitatem occultis machinationibus morentur, qui commodis privatis, bonis caducis, rationibus politicis eam postponant.

Nos vero rem totam arbitrio Supremi & Domini, & Patris indulgentiæ committamus, a quo in silentio, & patientia opportunam salutem rebus Ecclesiæ precati, eam sine dubitatione expectemus.



Honor Regis judicium diligit. Psalm. 98. 3.

NOTÆ QUÆDAM ET ANIMADVERSIONES

AD TRIUM JUDICIORUM DISSERTATIONEM.



Animadversio I. §. IX.

ILlud ipsum Parvum Volumen, cui Titulus: „ Brevis Relatio „ Reipublicæ, quam Religiosi Societatis Jesu Provinciæ Lusi„ tanæ, & Hispanæ in utriusque Imperii ditionibus constitue„ runt, & Belli, quod in eisdem declararunt, & sustinuerunt „ adversus Exercitus Hispanum, & Lusitanum " quam, variis condimentis, vel venenis potius magicis adhibitis, varietatem, & speciem multarum deliciarum Asseclis Carvalhianis postea præbebat? Alius ex illo sibi mellitos, alios libros apparabat; (a) qualis erat: *Respublica Jesuitarum Marinoniæ*: qualis erat: *Historia Nicolai I. Regis Paraquariæ*, cujus in cerebro Carvalhii latentis Regis numismata a famoso quodam, & falsi crimine Matriti convicto excusa ferebantur. Ego nomen illius non reverendi hominis causa, sed Religiosi Ordinis gratia, quem ille professus fuerat, reticendum existimo, donec ejus causa a legitima potestate rectè atque ordine decidatur: qualis erat, *Lusitani Administri Epistola ad Administrum Hispaniæ, super Imperio Jesuitarum*: quæ & alia complura ejusdem mali commatis scripta, nullo ferme auro venalia, per Carvalhii emissarios non vulgo tantum, quasi pia quædam Commentaria gratis distribuebantur, sed multo auro illita in manus principum, Cardinalium, Pontificum tradebantur.

Anima-

(a) *V. Anecd. Ital. tom. 1. pag. 133.*

Animadversio II. §. XIII.

Quae mala boni illi Guaranii in septem Oppidis suis lamentarentur, ea erant omnia ab impio bello profecta, quod scelere, atque avaritia Carvalhii ibi exarsisset. Ille, cum per Gomezium, tum per Fratrem suum Mendozam admonitus, in animo imbibisset, in iis finibus, agrisque Guaraniorum auri, & argenti fodinas latere uberrimas, quae neque fictae, neque pictae, neque visae unquam ibi fuissent; primo dederat operam, ut foedus Matriti feriretur, ex quo foedere pro una colonia Sanctissimi Sacramenti Ditionis Lusitanae ad amnis Platani ostia sita, Hispani septem Vicos una cum illorum agro & uberi, & amplissimo Lusitanis concederent; illud etiam sibi pollicitus fore, ut prolatis Lusitaniae finibus, propius Potosinum avaritia suorum civium invaderet.

Deinde cum per Guaranios, Pagorum incolas res in longius trium annorum spatium extrahi Carvalhius videret, impotentis animi avaritia percitus, simul etiam veritus, ne iniquitate foederis apud Hispanos vulgata, commutatio tota in irritum evaderet; non cessavit rem totam urgere apud Valdelirium usque eo dum miseris Guaraniis bellum anno 1754. (a) ab armis & Lusitanis, Hispanis inferretur. Postremo Vicani septem illorum Pagorum, partim Lusitana fraude capti, partim vi exercitus Hispani victi, suam apud Zeballium & vicem, & imprudentiam confessi, per se unos, contra auctoritatem, & sententiam Jesu Sociorum, qui suis praeessent Ecclesiis, stetisse dicebant, quominus e suis Pagis jussu Regis in novas sedes emigrassent.

Et verò erat, cur non Vicani illi modo, sed omnes ubique gentium boni, injuriam Carvalhii conquererentur, qui per suos & duces, & milites sanctissimam illarum Ecclesiarum disciplinam, quam ne primaevae quidem Ecclesiae Sanctitati cedere, omnium testimonio constabat, in licentiam, ac turpitudinem Lusitani fornicis convertisset, cum miseros illos Vicanos partim in servitutem redegissent, partim in deserta loca fugere Lusitani compulissent.

Non est animus hoc loco plura de hujus belli atrocitate deplorare. Hoc unum addidero; ex illo foedere inito mense Februario 1750. atque a Carvalhio crudelissimo, ac prorsus inepto 1754. executioni

(a) *Anecd. Ital. tom. 2. pag. 27.*

ni mandando, prima mali labe, tantam in illas Paraquariæ sanctissimas, dum fidei fuere commissæ Parochis, sive Missionariis e Jesu Societate, Ecclesias stragem, perniciem, ruinam pervenisse, ut, ubi Paradisus innocentiæ Religionis, Sanctitatis per duo ferme sæcula viguisset; (testa Ludovico Antonio Muratorio in opere, cui titulus Christ. Felic.) ibi post paucos annos inaudita Lupanaris lascivia fœteret: ubi numerus Oppidanorum ad centum millia, atque eo amplius fuisset, ibi ad annum 1780. vix decem millia recenserentur.

Illud hic postremum prætereundum non est, Carvalhium liberalem & munificum fuisse erga eos omnes Reipublicæ Marinoniæ Operarios, qui furiosis, & sagrilegis ejus mandatis obtemperarunt. Joannes Gomesius de Andrade, Urbis S. Sebastiani Prætor, & exercitus Lusitani Imperator, Pagorum eversor, novo Comitis *de Bobadella* titulo donatus (*a*) Michael de Bolhoens Dominicanus Episcopus Paracensis, Jesuitarum eversor, potius quam visitator, a Carvalhio ad Leirensem Sedem translatus. (*b*)

At inter omnes Operarios gratiosos, maximisque ab ipso ob præclara merita beneficiis affectos, eminuit Franciscus Furtado de Mendoza: hic Reipublicæ Marinoniæ adilis fabulæ inventor, ne dicam ridiculus Somniator, in præmium rei bene gestæ Ulyssiponem vocatus, & amoto Joachimo Costa Cortereale, (c) qui super transmarina re ab intimis Consiliis erat, & ob notam probitatem Regi carissimus, novo hoc titulo a Carvalhio Fratre decoratus fuit.

At vix anno 1760. Ulyssipone appulsus (*d*) quarto post die tumore interno, seu apostemate rupto, inopinata morte sublatus, ejusque corpus intolerabilem exhalans odorem, statim terræ mandatum fuit, & iniquitatis suæ fructus, quo vix potitus jam erat, statim caruit.

Anima-

— *Anecd. Ital. tom. 1. pag.* 111. *& seq.*
Animadv. 3. *in vita P. Correæ pag.* 291.
(a) *In vita P. Correæ. pag.* 295.
(b) *Ibidem pag.* 187.
(c) *Animad.* 9. *Correæ pag.* 268.
(d) *Anecd. Ital. pag.* 133.

Animadversio III. §. XVII.

SI res ipsa posceret, liceret mihi longas, & amaras historias scribere, ex quibus constaret, Patrocinium pro libertate Americanorum populorum, qui ad Religionem Christianam animum adjecissent, a Jesu Societate constanter ab initio susceptum, ipsi Societati & erumnas maximas, & eas demum calumnias ab Europæis Americæ Colonis peperisse, quibus ipsa Jesu Societas capta, & oppressa ad extremum fuerit.

Urbanum illud quidem Breve una cum Regiis Edictis anno 1640. Jesu Socii Lusitani adversus oppressores Neophitorum obtinuerunt; quod cum Sebastianopoli (*a*) eo ipso anno rite denunciatum fuisset, Lusitani Coloni, indignum facinus Jesuitarum clamantes, coorta ingenti seditione ad Collegii ædes tumultuati, mortem illis Jesu Sociis, nisi a vindicandis in libertate Indigenis (*b*) supersederent, ferociter minitabantur.

Quo eodem anno, eademque quoque de causa Jesu Socii Lusitani per vim ex duobus Oppidis Brasiliæ, & Paulopoli (sive Urbe Divi Pauli (*c*) & Sanctopoli (oppido Sanctorum) expulsi exilium ad 12. annos pertulere.

Cum anno 1652. opera, et rogatu Jesu Sociorum Joannes IV. Lusitaniæ Rex Edicto jussisset: Indigenas Americanos, quicumque ad eam diem servitutem perpessi fuissent, in libertatem asseri: eam rem iniquissime passa Urbs Ludovicopolis, (Sancti scilicet Ludovici) apud Marinonianos, per seditionem Jesu Socios ejecisset (*d*) nisi pro potestate Prætor Salvator *Correa* de Sa injuriæ Popularium, ira furentium, adversatus fuisset.

In tanta tamen invidia Europæorum, Americæ Incolarum, Antonius ille Vieira e Societate Jesu & ingenii, & eloquentiæ, & Apostolicæ prædicationis laude clarissimus, sibi non temperandum esse duxit, quominus anno 1655. ab eodem Rege Joanne IV. legem ferendam (e) curaret, quæ Brasilianos Indigenas in servitutem, ac nexum abduci, nisi justissimis quibusdam de causis, vetaret.

Anima-

(a) *Animad. I. ad vit. P. Corr. pag.* 169.
(b) *Ibidem*.
(c) *Ibidem pag.* 170.
(d) *Ibidem*.
(e) *Ibidem pag.* 171.

Animadversio IV. §. XVIII.

RES tota in hunc modum se habuit. Lusitani Paranienses illud piratici latrocinii genus ad flumen Orinocum exercuerant anno 1737., & duobus proxime sequentibus, in vicis Hispanæ Ditionis, unde in servitutem Indigenas abriperent; quod sæpe alias in finitimos Guarianos soliti erant exercere.

Hispani Jesu Socii, qui Ecclesias in Orinocianis Pagis moderarentur, per Philippum V. Regem suum, ad quem plagium Lusitanum detulissent, a Benedicto XIV. eas Litteras, in Brevi Censorio indicatas, facile impetrarunt 20. Decembris 1741.

Hæ Litteræ a Romano Pontifice Ulyssiponem missæ; ab Aula Lusitana non sunt tamen per aliquot annos in Marinonia denunciatæ, quas Joannes V. contentus, opinor, plagiariorum Civium incursiones illas coercuisse, semper voluerat suppressas.

Carvalhius vero, qui a secretis Josephi I. esse cœpisset anno 1750. adeo denunciationem earum Litterarum, quas Benedictus commemorabat, non maturavit, ut vix tandem eas ex Edicto Josephi I. ad annum 1757. de Mense Decembris denunciandas in Marinonia curaverit.

Ejus cunctationis causam nihilominus flagitiosa, quam impia Carvalhii avaritia substinebat, qui septem illos annos abusus Regio nomine, cum venditaret illos miseros Indigenas, suis Lusitanis, omnem illam pecuniam domum ipse suam avertebat.

Nam cum ex Litteris Pontificiis, atque ex Regio Edicto in Marinonia anno 1757. tandem denunciatis; servos illos in libertatem pristinam emptores Lusitani restituere cogerentur; ille optimus vindex, Ultor, Patronus Carvalhius Americanæ gentis, ne libellam quidem unam, pretii, a se ante capti, iis restituebat, qui ante Servos a se Mangone avarissimo, perfido Pirata, impio plagiario emissent. (*a*)

Quam impurati animi labem, quæ illum suis Lusitanis execrabilem effecissent, non alio piaculo a se purgandam existimabat, quam si apud Lusitanos per simplicem veritatem Societatis (*b*) homines has Litteras Benedicti XIV. – *Immensa Pastorum Principis* – reipsa obtinuisse, atque adeo Indorum libertatis acerrimos defensores fuisse, confiteretur; apud exteras vero Nationes per Breve

(a) *Anecd. Ital. tom.* 1. *pag.* 39.
(b) *Ibid. pag.* 122.

Censorium, per flagitiosissimam calumniam suspectos Jesu Socios ejus plagii, cujus ipse in primis esset reus, novos Janas Bifrons efficeret.

Adnotatio V. §. XXI.

CUm Saldania in Edicto suo præfaretur, se plane edoctum fuisse de crimine mercaturæ profanæ per Jesuitas frequentatæ, vereor, ne quod a lege humana aliquando conceditur, hoc ipsum in legem naturæ perperam transtulerit.

Etsi enim leges positivæ jure communi, uni Judici supremo permittunt, reos delictorum atrocium *infragranti* deprehensorum, sine solita fori formula damnari posse, ea de causa, quod factum notorium, & publicum sit loco Accusatorum, & Testium, neque eis det publicam in judicio defensionem; tamen hac permissione humani juris, legi naturali derogari non potest, quæ jubet defensiones saltem privatas, semper salvas esse debere, quæ denegare omnino nequeunt ulli reo per quamcumque exceptionem a quocumque Judice sacro, & profano etiam supremo. Omnis enim Judex, (sive Princeps, sive etiam Romanus Pontifex) legis naturalis imperio subjectus sit, oportet, a quo ne Deus ipse quidem illum exemit, cum nolit, aut non possit in lege naturæ dispensare.

Id quod ipsi docent Romani Pontifices. C. I. de causa posses. & proprietatis his verbis. „ Se nihil contra partem *inauditam* definire posse. „ Num Saldanha potest in causis criminalibus, quod Pontifex Romanus non potest in causis civilibus.

Adnotatio VI. §. XXVI.

OPeræ pretium me facturum existimo, si paucis complectar, quæ ad paternam novorum Christianorum administrationem Jesu Socii apud Lusitanos in America traditam, spectant. Equidem jam nunc profiteor, quæ in ea re dicam pauca, non eo a me dici animo, ut invidiam eam inflammem, qua hoc potissimum sæculo flagrant & Lusitani, & Hispani Americæ Sessores, quorum crudeli dominio (sic enim illud vocant isti e schola impii Philosophiæ Scriptores) antiqui Americæ incolæ maximam certe partem evanuisse, aut peri, aut periisse male potius dicantur; sed ut charitatem Jesu Sociorum, maximam Regum Lusitanorum

(& Hispanorum) voluntate defensam, in tuenda Neophytorum salute, clarius aperiam.

Cum a principio usu cognitum esset, parum consuli, si non a Præfectis Regiis, certè a non paucis Incolis Lusitanis, vitæ, saluti, libertati, Christianæ ubique eorum Neophytorum disciplinæ, quos e Jesu Societate Sacerdotes e silvis, ac mapalibus in vicos, atque oppida congregassent; ea cœpta est iniri ratio, ut Parochi una cum animarum salute, cætera vitæ commoda iis populis, per se & rudibus, & inertibus, & otiosis procurarent eo petissimum consilio, ne rursus & amore nimiæ libertatis, & odio durioris imperii Europæi, prodita Religionis professione, in vastas silvas dilaberentur.

Dici vero vix potest, quantopere Colonis Lusitanis ea cura Parochorum, volentibus Regibus suscepta, displicuerit, quæ impotentiori illorum & cupiditati, & dominationi impedimento foret. Quare Coloni Maranoniani, Paranienses, Brasiliani cum impetu ea de causa in Jesu Socios, tanquam rerum suarum, bonorumque eversores, facto, eos a Collegiis an. 1661. expulissent; gravissimas maximarum injuriarum pœnas per Antonium Vieriam, clarissimum Jesu Socium, deprecati; ab *Alousia Regina*, Alphonsi VI. Tutrice jussi sunt Collegia Jesu Societati in Marinonia, in Paranàla, in aliis Provinciis restituere. (*a*)

Alphonsus deinde VI. cum videret adhuc in Marinonia ea de causa tumultuari, anno 1663. pacis studio jubebat: Jesu ibi Socios pagos Neophytorum viginti quinque tenere, reliquos viginti quinque Religiosis Parochis alius instituti cedere, in quo Verbum verum illud erat Joann. 4. 37. *Alius est, qui seminat, & alius est, qui metit.* (*b*)

Re ita constituta, cum intervallo septem, & decem annorum compertum ibi esset, in pagis quidem Jesuitarum rem bene procedere, quippe qui paterna cura Neophytis omnia ad victum, cultumque suppeditarent; ipsi sibi nihil emolumenti parârent; in aliis vero Pagis diutius sisti non posse; cum & Parochi sua, non quæ Jesu Christi essent, quærerent; & stipendia sibi, suis etiam necessariis, ac cognatis a tenuissimis Incolis, & popularibus supra eorum facultates exigerent, & eosdem acerbè, avarè, crudeliter imperando, eò adigerent; ut rursus ad mapalia, ad

(a) *V. Animad. 1. ad vitam P. Correæ p. 170. & seq.*
(b) *V. Anecd. Ital. tom. 1. d. 116.*

silvas, ad vitam agrestem refugerent. *Petrus II.* litteris Episcoporum, & Regiorum Præfectorum de re tota certior factus, anno 1680. curam paternam eorum Pagorum Jesu Sociis restituendam apud Maronianos, & Paraonienses edixit. (a) Bene cum Indigenis actum cum multos esset annos; Lusitani Maronienses avaritiæ stimulis in Neophytos, eorumque Parochos, ac Patronos exagitati; anno 1734. Legatum Ulyssiponem miserunt, Paulum Silvam Nunezium, qui per famosos libellos, calumniis in Jesu Societatem refertos, ab *Joanne V.* Edictum auferret, per quod iis Parochis procuratione civili eorum Pagorum interdiceretur.

At Rex ille Sapientissimus, (quamquam (*b*) litteris Joannis de Maja Maroniani Prætoris sui anno 1725. rem totam cognitam jam habuisset); tamen mittendum sibi denuo Legatum in Marinoniam, qui secreto in eam rem inquireret, Franciscum Eduardum Sanchezium existimavit. (*c*)

Is ad annum 1736. e Marinonia Ulyssiponem reversus sine fuco, ac fallaciis legationem in hæc verba Joanni V. renunciabat.

„ Quamvis, inquit, multa adversus Jesu Societatis Patres ejus „ assidui obtrectatores & odio, & invidia occæcati ad Majestatem „ tuam detulerint, calumniati, plurima in illis Missionibus, sive „ Paræciis Indigenarum æmolumenta in rem Jesu Sociorum redire: „ Ego liquido tibi jurare possum, re tota per me quamdiligentissime quæsita, ac penitus cognita, eos solos e Jesu Societate „ Patres veros, ac legitimos esse in Marinonia Missionarios, qui „ ex eis Neophytorum vicis nihil in rem suam convertant;

Ergo Joannes V. quem fraudes Accusatorum ab avaritia, ab invidia, ab obtrectatione profectæ, haud facile laterent, testimonio præterea Legati a se hominis integerrimi motus, novo decreto Neophytorum procurationem Jesu Sociis commendavit an. 1736. (*d*)

Tandem Franciscus Mendoza Carvalhii Frater Marinoniæ Prætor Regius, cum & Fratri suo morem gerere, & vindictæ ipsæ suæ servire vellet, qui se apud Regem de variis criminibus suspicaretur postulatum – jure vero ab omnibus fere Ordinibus fuerat postulatus – calumniam illam millies de negotiatione Jesuitarum protritam, rursus iterandam existimavit, quam facile Carvalhio probatam jussus Saldanhia Censor edicto illo suo coerceret.

Adno-

(a) *Anecd. Ital. tom. 1. pag. 116.*
(b) *Animad. 1. ad vitam P. Corr. pag. 175.*
(c) *Anecd. Ital. tom. 1. p. 117. & seq.* (d) *Ibid. p. 118.*

Adnotatio VII. §. XXIX.

NOn arbitror silentio hoc loco prætereundum, quid ab ira feraciori Carvalhii Bottellio acciderit, qui ausus fuisset ad juris formulam, non ad libidinem illius in Causa Jesuitarum Bajæ versari.

Acta Bottellius legitimè confecta Ulyssiponem misit. Carvalhius primò mirari, siquis innocentes putaret, quos ipsa præjudicato odio reos haberet. Deinde furore percitus ire in Bottellii vindictam præceps. (a)

Sanctissimum Archiepiscopum e vestigio perduellionis reum a se indicatum, edito decreto septimo idus Januarias 1759. e Sede, Præfecturaque Ecclesiæ deturbare; litteris mox suis auctoritatem Regiam de more mentitis a Clemente XIII. enixe postulare, ut Bottellio, quem cavillaretur abdicasse sese ipsum Archiepiscopatu, Successorem nominaret. Clemens vero ex jure canonico agendum sibi ratus fuit, eo usque dum sibi de Bottellii abdicatione legitimis ab eo ipso litteris constaret; – nunquam tamen eas litteras Romam misit Carvalhius. – Hinc Bottellius per vim a Sede sua depulsus reliquam vitam, veluti privatus in solitudine, in qua sanctissimè obiit, peregit. (b)

Ibi atrociter & Clementi, & Bottellio, & hominibus divisque omnibus iratus Carvalhius in Bottellii locum ultro, quasi Summus Pontifex, sufficit cum juris sacri ditione Bajensi Ecclesiæ Administratorem sine venia Sedis Apostolicæ, repugnante ipso Clemente Pontifice Maximo, Franciscum Emmanuelem a S. Agnete Carmelitanum Excalceatum Angolæ Episcopum, Carvalhianæ Sectæ acerrimum Clientem. (c)

Idem Carvalhius – quasi occupare vellet eam injuriam, ac contumaciam, quam in Gallicanis istis Comitiis planè tyrannicis anno 1790., & 1793. Pius VI. damnabat – auctoritate sua destinabat Administratorem Angolanæ (d) Ecclesiæ Franciscum a S. Thoma, quem virum spectatæ integritatis Ordinis S. Dominici, a Consilio, sive Tribunali Quæsitorum Fidei apud Lusitanos ammotum,

(a) *Anecd. Ital. tom. 2. pag. 147.*
(b) *In vita Emmanuelis Correæ pag. 59. & Anecd. Ital. tom. 2. pag. 147.*
(c) *Anecd. Ital. tom. 2. pag. 14.*
(d) *Bon. Ratioc. pag. 68.*

tum, vehementissime cupiebat, quo impunius etiam in illo consilio sanctiore ipse Regius Minister dominaretur.

Ergo Sedes Bajensis Ecclesiæ, orbatæ legitimo Archiepiscopo, Excalceato Invasori proditæ ad annum 1777. Vidua, tandem rogatu Fidelissimæ Reginæ eo anno a Pio VI. destinata fuit Antonio a S. Josepho ex Augustiana Familia (*a*) viro Sanctissimo, in Marinonia ad S. Ludovicum jam pridem Episcopo. Is, cum antea in Marinonia Litteris Pastoralibus pro Jesu Sociis palam ausus esset venire, quorum & bonam nominis famam, & sanæ doctrinæ integritatem ab Asseclis Carvalhianis atrociter, & impunè laterari non est passus; pro imperio Carvalhii ab Ecclesia sua abstractus, jussus fuit Leiriæ in Lusitania exulare, ibique conclusus in Cœnobio suorum Fratrum, quasi in custodia vivere ob unam illam noxiam, judicio Novioris Sejani capitalem, quod & hiscere contra se ausus, neque omnes Jesu Socios Carvalhiano odio esset detestatus.

Neque adeo tamen Carvalhius impotentissima tyrannide apud Lusitanos valuit, ut alios omnes Ecclesiarum Antistites ab studio, ac consilio vindicandæ Jesu Societatis innocentiæ deterruerit. Non deterruit illum Fratrem Regis Josephum, apud Lusitanos supremum Fidei Quæsitorem: non Gasparem Braganza Braccharensem Archiepiscopum, Ecclesiæ Lusitanæ Primatem: non Michaelem Tavoram Eborensem Archiepiscopum: non Farensem Episcopum apud Algarbios; Laurentium a S. Maria Reformatæ disciplinæ Franciscanum: non Episcopum S. Ludovici in Marinonia Antonium a S. Joseph Ordinis S. Augustini (*b*) &c.

Atque utinam nulli fuissent Antistites, qui Carvalhii potius furori cedere, quam Clementis XIII., vim atrociorem Regii Ministri notantis, auctoritati obtemperare maluissent. Quamquam hæc tanta officii constantia in ejusmodi Sacerdotii cum imperio certamine semper visa est in Ecclesia optanda magis, quam ab omnibus Episcopis speranda.

Vel ille ipse, cæteroquin jure laudatissimus Ulyssiponensis Patriarcha Josephus Manoelius Eminentissimus Cardinalis, cum coram Carvalhio suadenti, ut sacris Ministeriis pro imperio arceret Jesu Socios, obstitisset; ad extremum furenti Ministro, atque omnia

(a) *Animad. 2. ad vitam P. Correæ pag. 136.*
(b) *Anecd. Ital. tom. 2. pag. 125.*

omnia Regio Nomine militanti, per ignaviam cessit; cum istiusmodi Edictum vulgavit. (a)

Justis de causis honoris Dei, & Majestatis suæ Fidelissimæ judicamus suis Ministeriis interdicendum esse Jesuitis omnibus, qui in nostri Patriarchatus Collegiis, & Domibus (b) commorantur.

Datum Ulyssipone in Palatio nostræ Residentiæ 7. Junii 1758.

Joseph Cardinalis Patriarcha.

Jussu Em. suæ Christophorus de Roccia Cardoso. (c)

Illud verò, ut in malis, non omnino sibi male consuluit Manoelius, qui animi mœrore oppressus, cum ab Edicto vix a se vulgato in suburbanam villam Attalayæ Ulyssipone recessisset, ibique ab ægritudine in morbum repentinum, ex quo non convaluit, incidisset, morti jam proximus ex formula juridica totum illud Decretum suum retexuit, edita Palinodia (d) obiitque die 9. Julii 1758.

At quod ille Patriarcha extremo vitæ tempore vidit, sese Sedis Apostolicæ Decreta Edicto suo violasse, edita in Constitutione Clementis X. incip. *Suprema*, in qua sic legitur. „ Attamen „ Confessiones audiendi facultatem omnibus simul *unius* Conven„ tus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Se„ de Apostolica nullatenus posse. „ (e)

Hoc ipsum utinam alii nonnulli in ditione Lusitana Episcopi & cupiditati Carvalhianæ, & suæ ipsorum ambitioni, & odio in Jesu Socios non refragrari aut vidissent, aut exequi voluissent! Certè odio Carvalhiano in Jesu Socios illi pauci debacchati fuisse videbantur. (*f*) Alexius Enriquetius ex Ordine Prædicatorum Mirandensis Episcopus; (*g*) Michael Bulhoensius ex eodem Ordine Episco-

(a) *Brev. Hist. expuls. Jesuit. pag.* 87.

(b) *In Patriarcatu Societas Jesu novem numerabat Domicilia: septem Ulyssipone: duo extra Urbem Regiam, Collegium scilicet Cetobricense, & Scalabitanum.*

(c) *Anecd. Ital. tom. 1. pag.* 206.

(d) *Anecd. Ital. tom. 1. p.* 178. & *Bon. Ratioc. pag.* 57.

(e) *Apud Ferrarrium v. Regul. pag. m.* 330.

(f) *Anecd. Ital. tom. 1. pag.* 190.

(g) *Breviar. Hist. expuls. pag.* 89.

Episcopus Belensis apud Paranienses; (a) Joannes Cosmas de Cunha Canonicus Regularis S. Augustini Leirensis Episcopus, cujus in Diœcesi nulla Domus erat Jesu Societatis, (b) Franciscus Xaverius Aranha Olindensis in America Episcopus, (c) Antonius de Desterro Episcopus S. Sebastiani Fluminis Januarii in Brasilia.

Adnotatio VIII. §. XXXIV

DE patibulis – furcas hodie dicunt – a Carvalhio erectis res erat ejusmodi, ut vix esset habitura fidem, si in vetustioribus historiæ monumentis scripta legeretur, ac non in ipsis ejusdem ætatis diariis esset ex communi conscientia relata. Ille enim, ut Ulyssiponem ex otiosis, & vagis hominibus purgaret, dispositis a se Urbe tota, & custodibus, & vigilibus edixerat, ut si quem otiosum, sive male feriatum in foris, in triviis, in plateis, in vicis offenderent, eum confestim sine causæ cognitione, sine ulteriore quæstione, sine ulla juris formula, & tigillis infelicibus suspenderent. Et verò eò horroris deducta res fuerat, ut Ulyssipo non paucos uno die suspendio (d) necatos conspexerit, quorum plerosque non ignaviæ culpa, sed durioris fortunæ necessitas fecerat male feriatos.

Quare clementissima Lusitaniæ Regina, ubi primum & se ipsa tutam, ejecto ex Aulâ Pombalio tyranno, & liberos a quotidiana Ministri crudelitate cives suos vidit; nihil habuit prius, quam ut evertenda patibula, diruendos teterrimos carceres, a Carvalhio innocentiæ puniendæ extructos; ediceret; cum faciliore, atque humaniore consilio Ulyssiponensium quieti, ac securitati a nocturnis maleficiis caveret, & depensis per Urbem totam ex certis intervallis funalibus, & constitutis Militum, Lictorumque (e) perpetuis vigiliis, & apertis ad custodiam male feriatorum hominum publicis receptaculis.

Adno-

(a) *Anecd. Ital. tom. 1. p. 258.*
(b) *In vitam P. Correæ pag. 182. Anim. 2.*
(c) *Ibidem.*
(d) *Animad. 8. ad vit. P. Corr. p. 275.*
(e) *V. hist. an. 1780. pag. 266. typis Pitterianis.*

Adnotatio IX. §. XXXVIII.

AT enim primum quæras, quid tantum emolumenti sibi Carvalhius ex tam tetra, tam infanda, tam convicta calumnia pollicebatur, ut in omnia & divina, & humana jura, in omnium Divorum, hominumque odium, in æternam posteritatis infamiam prudens, videnſque se dare præcipitem non dubitaverit? Neque enim esse quemquam adeo vel natura immanem, vel moribus efferatum, ut, nullo sibi bono proposito in maleficia tam atrocia, tam nefaria, tam impia ultro, & veluti animi causa, velit incurrere.

Tu quidem, si ita de Carvalhio quæras, cum prudentiſſimis nostræ ætatis hominibus facias, qui cum manibus ipsis Carvalhianam fraudem, atrocemque calumniam tenere se, dicerent; toti in causas tantæ illius amentiæ & furoris, & immanitatis intenti, alias alii inquirere, & reddere conabantur, partim ab inflammato quodam furore vindictæ, quam de Tavoræ, & Aveiri familia Carvalhius repetere concupisceret; partim ab avaritia maximè & sordida, et in omnes Lusitaniæ Cives infesta, quam ne posset diutius ferre impunitam, partim per Primores, partim per Jesu Socios, Regi ipsi probatos, Carvalhius maximè verebatur.

Ego cum tibi, Bolane suaviſſime, quantæ Carvalhius in invidia omnium Lusitanorum, quanto esset idem in discrimine & famæ, & fortunæ, & vitæ amittendæ breviter exposuero, rem totam judicio tuo relinquam, quam potiſſimum causam sit ille cum extremi furoris: tum inauditæ in Lusitanos, & Proceres, & Jesu Socios immanitatis sequutus.

Primum apud Patricios illos Lusitaniæ non ita multo post initum Ministerium, in summa esse cœperat, eaque in primis promerita, invidia homo novus Carvalhius. Quid ita vero? Ecce tibi rem rectè, atque ordine expositam.

Vix ille quidem e sordibus, quibus cum diu, multumque fuisset luctatus (*a*) in munus Regii Scribæ, primique Commentariensis evectum, sese Carvalhius ambitioso Reginæ Viduæ favore vidit: cum alium repente & loco, & genere, & dignitate, & meritis se ratus, omnia insolita, immodica, fastigio suo altiora vehementer cœpit ambire.

Connubia suorum cum Patriciis illius Regni familiis apertè po-

(*a*) *Anecd. Ital. tom.* 1. *pag.*

ſtulare; filio quidem ſuo natu majori Virginem (a) Taboriani Sanguinis, minori verò Comitissam Alvæ Uxores petere, eumdem Duci Cadavalenſi, cujus esset Soror deſponsa Marchioni Goveano, Averiani Ducis filio, velle Cognatam ſibi fœminam, neſcio quam, in Matrimonium dare.

Ergo ab Luſitanis Proceribus Regius Scriba repulſus, ſeſe intra pelliculam suam contineri jussus, ad gregem ſuum non ſine joco amariore dimiſsus, de ſpe contaminandi Patricii Sanguinis per plebeja connubia suorum eſt dejectus.

Hæ illæ lacrymæ, hæc illa Helena fuit. Hinc in Regem Fideliſſimum excogitata conjuratio: hinc mentitum Parricidium. Hinc immaniſſimum in illuſtriſſimos, atque innocentiſſimos reos ſupplicium.

Nam Carvalhius & contemptus, & deriſus, & repulſus ab affinitate Patriciorum, illico ſibi peſſime metuere occepit, ne eorumdem, qui plurimum apud Regem ſuum & poſsent, & aſſiduo in Regia verſarentur, opera, atque auctoritate, primum de gradu ſuo dejectus, deinde pœnas odio omnium civium ſuorum jampridem debitas, graviſſimas dare juſsu Regis cogeretur; cum omnia omnium jura pro arbitrio ſuo, pro impotentiſſima animi libidine, pro tyrannico imperio in Luſitania violasset.

Deinde erat etiam ordini Patriciorum, cum ab communi in cives tyrannide, tum a privata in eos ipſos injuria ſummo odio Carvalhius; quippe qui unicus Auctor dolo malo fuiſset, ut quæ hodie feuda dicimus, (b) ideſt jus, ac dominium nonnullorum agrorum, vicorumque, quæ alii Reges eximiis in patriam meritis, dignitatique Principum Familiarum præmia largiti fuiſsent, ea Magnatibus abjudicata, Rex denuo Fiſco vindicaret.

Quod genus injuriæ qui poſset Ordo Patricius non iniquiſſimè pati? Quaſi verò Carvalhius & pro turpiſſimo peculatu, & pro indigniſſima Reipublicæ nundinatione, novus eſset Comes Oyerianus, novus Marchio Pombalenſis ſalutandus; alii verò antiquiſſimi Luſitaniæ Magnates iis honoribus, ac præmiis expoliandi, quæ præclara Majorum ſuorum in rem Luſitanam facinora poſteris ſuis peperiſsent.

Erat omnibus Luſitaniæ Negotiatoribus ſummo odio Carvalhius, quos per ſummam injuriam a libertate commercii ideo arcebat, ut

(a) Anecd. Ital. tom. 1. pag. 225.

(b) *Animac. 8. ad vitam P. Corr. pag. 297.*

ut ad se unum fructus totius pecuniæ Lusitanorum cogeretur.

Nam in eam rem ille Societates quasdam conflandas Regia auctoritate curaverat, quæ non Collegia Mercatorum, sed unius Carvalhii monopolia re quidem ipsa essent.

Tale (*a*) viri monopolium ad Durium; ubi Regio tota est pretiosi vini feracissima anno 1757. Carvalhius instituerat.

Tale exoticarum & ab Indis, & ab Americanis mercium Cacai, Sacchari, Cariophyli (*b*), aliarum ad Marinoniam, & ad fluvium Amazonum monopolium anno 1755. indixerat.

At quibus legibus eas Societates Carvalhius temperabat? In rem quidem suam optimis in commune civium damnum deterrimis. Nemo vinum, nisi Sociis Carvalhii vinariis certo, atque infimo pretio venderet.

Nemini jus esset exoticas vendendi arbitrio suo merces, quisque eas Carvalhii Sociis minimo prætio ab eodem constituto vendere cogeretur.

Ex qua monopoliorum institutione quantum damni cum vini, merciumque exoticarum domini, tum alii passim Lusitaniæ Negotiatores facerent, quantum vero Carvalhianæ Societatis Socii; quantum ipse Carvalhius potissimum lucri, qui clandestinus Magister, & Manceps, & primus in illis Negotiator esset, nemo facile constituat.

Illud certò constat, in singula vini dolia rediisse Carvalhio, ejus Societatis publico Patrono, ternos nummos cruciatos (*c*). Cum quotannis ad quadraginta millia doliorum facile in ea Societate palam venirent. Ego totius lucri Carvalhiani illud dumtaxat specimen tibi, Bolane, ostendero. Toti illi monopolio pro Curatore, Exactore, Quæsitore, Scrutatore, & Cauponarum, & Cellarum Vinariarum omnium, Joannes ille Mansilha, Prior Generalis in Lusitania Ordinis Prædicatorum, præfuerat a Carvalhio illo acerrimo Vindice Negotiationis profanæ in Jesu Socios a se confictæ, datus. Is ergo & Seditiosus, & spurius Sanctissimi Ordinis Professor; cum anno 1777. a Pontificio Nuncio Bernardino Muri Bussio in vincula daretur, ita bene inveniebatur nummatus, ut signatæ pecuniæ apud se centum millia nummorum cruciatorum haberet. (*d*) Tu cœtera conjice, quid fecerit lucri Dominus tot Socie-

 tatum,

(a) *Anecd. Ital. tom. 1. pag.* 143.
(b) *Ibid. pag.* 17.
(c) *Animad.* 8. *ad vit. P. Corr. pag.* 276.
(d) *Anecd. Ital. t.* 2. *p.* 224. *& Anim.* 8. *ad vit. P. Corr. p.* 277.

tatum, cum tantus Religiosus Procurator pecuniæ unius Societatis vinariæ cumulasset.

Quid Domini facient, audent cum talia fures? Erat publico Collegio, sive Societati Mercatorum, quam in Lusitania *Mensam Commodi Communis* vocant, summo odio Carvalhius; qui non modo liberam civibus negotiandi facultatem, ex qua plurimarum familiarum & salus, & vita, & fortuna apta pendebat, quas præterea ad summas angustias privato commercii jure redegerat, sed illud præterea iniquissimi fœnoris genus erat commentus, ut Edicto Regio ab anno 1757. jam cavisset, nequis Civis Ulyssiponensis, nequis Colonus Erremæ oræ pecuniam, nisi Societatibus a se institutis ad mensam, sive fœnori traderet. (*a*)

Huic tantæ, tam late patenti, tam invidiosæ injuriæ, cum remedium, modumve aliquem imponere nonnulli ejus Mensæ, sive Collegii Mercurialis, Socii vellent; extremum ipsi discrimen & capitis, & fortunarum suarum ab iracundia, ac vindicta Carvalhii adiere. Negrerius quidam illius Collegii ex officio Advocatus, rogatu Magistri, sive Procuratoris ejusdem Collegii postulata Regi exhibenda nomine totius Collegii scripserat, quibus per supplicem libellum causam Mercatorum contra Carvalhii injurias agebat. Rex æquitate postulatorum, & iniquitate Ministri sui, valde a primo commotus, libellum Carvalhio legendum dat. (*b*)

Carvalhius complura Regi negare, multa injuriæ capita in alios derivare, sine ullo veri, falsique discrimine per perjuria, homini consueta, auctores libelli apud Regem pro seditiosis, pro Erarii Fraudatoribus, pro maleficis gravi pœna dignos describere. Quid verbis opus est? fato nescio quo, certe innocentiæ, atque saluti Lusitanorum Civium funesto, omnem Regis iram a se in Collegium totum Mercuriale avertit; illico jussu Regis Advocatus Negrerius in vincula conjectus, in quibus obrutus ruinis Arcis Ulyssiponensis miserè periit, cum 1. Novembris anni 1755. tanto est Urbs Regia concussa terræmotu, quantum Divini Numinis ira in Lusitanos nunquam antea concitasset: reliqui verò illius Collegii Socii, qui vel opera, vel consilio, vel auctoritate sua delationem illam jussissent, omnes in exilium ejecti fuere, in quibus Cives illi Nobiles erant Didacus Mendoza, qui Regius Procurator negotiis præerat transmarinis; Consalvus Josephus Silveira Regius India-

(a) *Animad. 8. Ad vitam P. Correæ p. 279.*

(b) *Anecd. Ital. tom. 1. pag. 20.*

Indiarum Consiliarius, Antonius Costa Freirius Regni Thesaurarius. (a)

Neque his modo Regiis Ministris invisus erat merito suo Carvalhius, sed Aulæ Regiæ toti, ex qua cum fidissimum quemque Ministrum removisset, eos rebus publicis, in primis vero Fisco, & Erario venales homines præfecerat, quibus volentibus ad animi libidinem pecuniam publicam impunè depopularetur.

Erat denique Ecclesiis omnibus Lusitanis maximo odio Carvalhius, cum earum bonis, nulla Religione deterritus ita palam, atque insolenter inhiaret, ut, cum (b) Ecclesiæ Patriarchalis omnem & pecuniam, & gazam, & pretiosissimam supellectilem Regio Erario addixisset, Collegio illo Canonicorum ab ejus administratione penitus remoto, Erarii sui Præfectis curam omnem commiserit, idest, sibi uni Præsidi Erarii vindicaverit.

De odio plebis in Ministrum Regium (c) & ingenio trucem, & omnibus Civibus iratum, & pecuniæ publicæ depopulatorem, & in strage, clade, miseria communi, quam terræmotus maximam tenuioribus potissimum Civibus attulisset, erga plebem restrictum, illiberalem, immitem, immisericordem, nihil dici tantum ullis verbis potest, quantum reipsa infimis hominibus & invisus, & exosus, & execrabilis Carvalhius esset.

Ergo quod in eo genere impotentissimæ dominationis, cum odio publico conjunctæ fieri solet, ut qui vel ordine, vel familiaritate, vel auctoritate plurimum in re publica possint, ii suscepta communi causa Regem de re tota edoceant, id summopere veritus Carvalhius, totus in eo erat, omnesque & ingenii ferocioris, & animi ultio malefici, nervos, dies, noctesque in id contendebat, ut & Magnatum Primores, & Jesu Sociorum Sacerdotes, Regi satis spectatos, e medio iniquissimè tolleret, ne ipse per eos Regi delatus merito supplicio plecteretur.

Deinde enim quæras, quam demum occasionem nactus Carvalhius tam impiam, tamque infandam est orsus Parricidii criminationem? Prudenter tu quidem, mi Bolane, ita opinor, quæras, si nihil iis Scriptoribus, grandi pecunia a Carvalhio & domi, & foris coemptis, credendum existimas; apud quos & Regia vulnera a nemine mortalium conspecta, & Patricios, & Jesu Socios nullius testimonio convictos legas.

Quæ

(a) *Anecd. tom* 1. *pag.* 20.
(b) *Pag.* 299. *vitæ P. Correæ*. (c) *Ibid. pag.* 274.

Quæ res in Lusitania nova acciderit, quam suam ratus sit Carvalhius occasionem; aliam alii passim Scriptores critici, rerum novarum curiosi, prodidere. (*a*)

Ergo nihil pro certo ausim tibi confirmare, quippe qui mihi putem tacito licere citius vere de re tota existimare, quam palam loquuto sine argumentis verum dicere.

Opiniones Scriptorum tantum referam. Est qui occasionem calumniæ Carvalhianæ e domo repetat Tavoræ (*b*). Hic si quærere plura pergas, ego plura me nescire profiteor. Sine, quæ latent, ea in apertum proferat ætas.

Est, qui ab Aveirensi Duce occasionem infandæ criminationis natam ad manum Carvalhio fuisse dicat.

Erant, ajunt, graves inimicitiæ Averiensi Magnati cum Regio Cubiculario Petro Teiceriam, ex eo natæ, quod Cubicularius in altercatione contumeliosus in Magnatem fuisset.

Averianus frustra apud Carvalhium de injuria, ac contumelia questus, (*c*) cum ulcisci ipse per se Teiceriam constituisset; in rhedam ab Aula abeuntem, ratus in ea Cubicularium esse Servos jaculari tormento igniario jussisse, cum præter Magnatis opinionem Rex ipse forte rheda illa veheretur; ut Averiani insidiæ non *Regem* ex consilio Conjuratorum, sed *Cubicularium* Regis ex cupiditate vindictæ impeteret. Id quod ex eo confirmari volunt, quod Sicarii, ubi ab Auriga clamante accepere, Regem unum in ea rheda vectum, confestim re infecta recesserint.

Est qui pro Carvalhii malitia, proque impotenti vindictæ cupiditate non dubitet rem totam ex compacto in Jesu Socios in hunc modum gestam dicere. (*d*)

Impurum illud monstrum, omnium bipedum nequissimum, ut & odio suo ansam ultionis daret, ut ambitioni viam dominationis in Regnum, Regemque ipsum tutissimam muniret, ut omnia avaritiæ repagula semel perrumperet, velut officii, ac benevolentiæ

(a) *Anecd. Ital. tom. 2. pag. 237.*

(b) *Nam per id temporis fama fuerat Aloysium Tavoram domi malè fustibus accepisse ignotum nescio quem (at magnum certè aliquem) nocturnum pudicitiæ furem, quem initio ignotum sibi, deinde notum, nullis precibus satis placatum dimisisset.*

(c) *Anecd. Ital. tom. I. pag. 237. in Adnot.*

(d) *Anecd. gallicè scrip. 2. edit. Varsaviæ apud Janum Reuicki an. 1783. Adnot. 19. ad lib. 3.*

lentiæ gratia, hortatum Regem suum fuisse, ut Rex illo noctis tempore animi relaxandi causa (a) solus per Urbem rheda veheretur. Interea ipsum Tragediæ Auctorem Militem quemdam, qui tormentum sine glande missili instructum supra rhedam exploderet, in cœlum ipsum jaculatus, paratum habuisse; cumque ita ante se factum, monitumque, ut neque capi se valde laboraret, neque captus dicere dubitaret: sese a Jesu Sociis fuisse Parricidam Regi subornatum.

Sed libera tibi, mi Bolane, captatæ a malo Calumniatore occasionis existimatio. Unum illud certè tenebis: Nullam in Regem fuisse susceptam conjurationem: Nullos Lusitaniæ neque Proceres, neque Jesuitas de Parricidio Regio cogitasse: Consilium, Artificium, Parricidium ab uno Carvalhio fictum in vulgus emanasse.

Adnotatio X. §. XLII.

Ergo callidè nulla argumenta Carvalhius contra Tavoræ domum Judicibus proferebat, ne calumnia tota iisdem dilucidè pateret. Astutè, inquam; Carvalhius; nam postea partim sese ridendum Europæ toti, partim bonis omnibus execrandum dabat, cum anno 1761. in causa Gabrielis Malagridæ, per summam & vanitatem, & impudentiam, & impietatem mortuam Tavoræ Marchionissam confitentem Parricidium mentiebatur. (b)

Ergo in ea causa Malagridæ, (c) tota cum pulvisculo, quod ajunt, vel ab ipso composita Carvalhio, vel ad Carvalhii arbitrium, præscriptumque conficta, inducebatur Eleonora Matrona mortua cum vivo Malagrida a sensibus tamen abducto, per speciem de maleficio suo collocata. „ Cum enim Malagrida Eleonoram *eo nomine castigaret*, quod in caput Regis viva conjurasset; illa præfata, manes quidem suos ejus Parricidii cogitati per ignem purgatorium dare meritas pœnas: sese de sententia Mariti in Parricidium consensisse fatebatur, etiamsi uterque vivus in quæstione, ac tormentis id, quod res erat, semper negavisset. Addebat etiam, initium tanti mali natum ab impia, „ ac

(a) *Mæstus erat Rex ob mortem Mariæ Barbaræ Hispaniarum Reginæ Sororis suæ die 28. Aug. 1753. Anecd. Ital. t. 1. p. 194.*
(b) *Bon. Ratioc. pag.* 143.
(c) *Ex Act. judicial. Inquisit.* §. 8. *n.* 43. *Bon. Ratioc. p.* 143.

„ ac nefaria interdictione Sacrorum in Jesu Socios per Patriarcham
„ Manoelium pronunciata: sese ex eo tempore cessare cœpisse a
„ frequentia Sacramentorum tantopere sibi a Malagrida commen-
„ data cum ejus ductu exercitia spiritualia obiret: qua negligen-
„ tia esset factum, ut facile Marito suo in Regis caput conjura-
„ to ipsa consensisset. “

Me hic nihil de meo causæ affingere, tu ipse, Bolane, apertè videbis, si caput quadragesimum tertium ejus insanientis commentarii leges.

Quæro ex te, qualis tibi videtur ejus causæ scriptor? Nec enim possum apud me constituere; utrum sit ille impurior, qui arcana confessionis prodita a Confessario per ludibrium fingat; an vanior, qui sibi contrarius vincta sua, quod ajunt, plane concidat; Cum Malagrida hic culpare dicatur illud Magnatum consilium in Regem susceptum: idem Malagrida cum aliis Jesu Sociis ejus consilii inventor, auctor, dux, suasor a Carvalhio celebretur: An ineptior, qui mortuos testes Parricidii, qui mortuos Regicidii conscios, qui excitatos ab inferis reos confitentes maleficia, quæ vivi in tormentis negassent, qui manes pios e flammis expiatoriis, & cum Confessario loquentes, & Patriarcham Manoelium execrantes, & negligentiam Sacramentorum, & in frequentiam operæ Jesuiticæ condemnantes comminiscatur. Non tu mentitam sibi iniquitatem hac in causa vides? non spiritu vertiginis actum cum suis Carvalhium conspicis? non innocentiam oppressam, injuriam dominatum, calumniam doles triumphantem?

Adnotatio XI. §. XLIV.

JUverit, opinor, veri studiosos paucis rem totam audire.

Carceri datus Aveirus initio negàverat: Se cum quoquam mortalium in Regis Majestatem conjurasse. At rursus in quæstionem vocatus terrore tormentorum, quæ coram atrocia, & sibi parata conspiciebat, victus, ne ea subiret, sese prodidit falsò Parricidam; jussusque nihilosecius acerbissimè torqueri, in tormentis conjurationem mentiri perexit.

Res eo processerat, ut pridie Idus Januarias, anno 1759. (jam tum typis impressa in eos Magnates ultima suplicii sententia, quod supplicium esset Idibus ipsis publicè edendum, ut reipsa fuit Idibus ipsis editum) ad Aveirum. cæterosque Magnates in carcerem asservatos Procurator Regius Nobilitatis a Carvalhio no-

mina-

minatus, ire juberetur, qui eorum defensionem exciperet.

Res tota dicis causa, ne quis indicta causa Magnates diceret supplicio extremo mactatos, suscipi videbatur. Nam qui posset, re serio agenda, spatio duodecim horarum tot reos Procurator audire?

Ergo Aveirus cum ad Advocatum dixisset, sese summopere falsæ confessionis suæ pœnitere, per quam & animam ipse suam, & vitam tot innocentium perditum iret: Advocatus, fac ergo, ajebat, ut confessionem priorem retexas. Qui vero possum, Aveirus respondebat, ubi neque me rursus audire, neque confessionis falsæ revocationem legitimè excipere Judices volunt?

Ibi Regius Procurator eo audito, dedit operam, ut rursus defensionis copia Aveiro fieret?

Adest illico Carvalhius una cum illo Petro Gonzalezio Cordeirio, perfido inconfidentiæ Judice, atque alio, nescio quo, Carvalhianæ sectæ, nihilo nequiore. (a)

Hic enim, ubi primum coram Aveirum audiit, confessionem priorem retexentem; Atqui *nullus jam*, ait, *retractationi locus est reliquus: valeat, oportet, prior Aveiri confessio*. Quo in verbo Judices illi acerrimi festinanter abiere: atque postridie Magnates omnes eas subiere pœnas, quas vulgo Europa, non nostræ ætatis, sed sæculi Neroniani proprias esse, contendebat.

Adnotatio XII. §. XLVI.

QUid his verbis, *Æconomica Potestate*, debita opera in exilii (*b*) Edicto edditis, intelligi vult Carvalhius Legulejorum doctissimus?

Si unum id, quod unicè intelligi debet; jure posse Carvalhium, potestate Regis æconomica munitum, Jesu Socios, auditos jam, & defensos, consultoque prius, & annuente Pontifice, condemnare, & in exilium mittere, non servata forma, ac specie judicii, sed simpliciter, & de plano, sola veritate inspecta; si unum hoc, inquam, intelligi vult: Nemo profecto inter homines erit, qui id ei inficiari aliquo modo audeat. Omnes enim fatentur: Posse Principem hujusmodi legibus humanis, politicis, quæ judicandi formam præscribunt, derogare, nec eas servare teneri, si ea æconomica (seu paterna) potestate uti velit, qua agere solent cum

 Filiis,

(a) *Anecd. Ital. tom.* 1. *pag.* 213.

(b) *V. Hist. an.* 1760. *typis Pitterianis*.

Filiis Patres familias, & egerunt Josue., 7. 19. cum Acan, & Rex Saul cum Filio suo Jonatha, 1. Reg. 14. 43.

Si vero hac æconomica Regis potestate Carvalhius intelligi mavult: Jure eum Jesu Socios omnino inhauditos, omnino indefensos, inconsulto, & invito Pontifice, ob delicta commentitia damnare, & in Pontificiam Ditionem insolenter ejicere; Eam profecto æconomicam Regis potestatem perperam interpretatur, eaque sane multo perversius abutitur; eam omnes aversantur tanquam novam, omni antiquitati prorsus incognitam, qua nemo Paterfamilias unquam usus est in filios, etiam atrocissimi delicti reos, in *fragranti* deprehensos, vel perduelles, nec eos inauditos abdicat, atque *exhæredat*.

Omnes omnino homines consentiunt, Juris naturalis, ac divini, ac gentium esse, ut nemo damnetur: aut privetur jure suo, nisi se defendendi habuerit facultatem, quæ ad naturam Judicii per se immutabilem pertinet.

Ab hac lege naturali diligenter, accurateque servanda supremus ejus auctor Deus neminem solutum, aut immunem esse voluit, aut volet unquam. Hujus legis naturalis imperio, & præscripto summi, infimique Judicum; & Papa, & Rex æqualiter subjiciuntur. Huic igitur legi naturali Æconomicum Carvalhii in Jesu Socios Judicium subjectum omnino esse oportet.

Qua igitur fronte Carvalhius hujusce legis naturalis jugum manifeste rejicit, & Jesu Socios, & Lusitanos Cives, etiam privatim inauditos, indefensos sine ullo pudore damnat, eosque a justitia omnibus communi excludit?

Quomodo igitur Carvalhius Societatem jus naturæ violando, damnare se, & expellere per æconomicam Regis potestatem & audet, & profitetur?

Miseram innocentiam! Quodnam posthac in sacris, profanisque Tribunalibus tibi superest asylum, si venia, & potestas tui purgandi, ab auctore naturæ tibi, ne opprimaris, concessa, tolli, & adimi potest æconomica Carvalhiana potestate?

Miseram veritatem! certè tibi æternum jacendum est in oppressione sub Calumniatorum injuriis, si jure æconomicæ potestatis Carvalhianæ faciles ambas aures Calumniatoribus præbere, ambas tibi iratas potest Judex denegare, & tibi, & cunctis, ne pro te clament, os violenter obstruere potest.

Miseram Rempublicam! miseram humanitatem! Quis hominum cœtus, sive sacer, sive profanus, tutus esse unquam potest; si in judi-

judiciis, in legibus ferendis barbarus hic Carvalhii judicandi modus legitimus fatis esse judicetur ad ejiciendos in exilium mille septingentos Societatis homines, & ad novem mille sexcentos quadraginta ex omni ordine Cives damnandos, qui deterrimi carceris angustiis, pædore situ confecti, & inedia consumpti ærumnosissimam cum morte vitam commutarent? (a)

Quid dicam de violatione Juris Divini, Juris Pontificii, Juris Gentium, Juris utriusque Principatus?

Jam vero ne longior æquo sim, hæc fusè explicare, probare supersedeo.

Unum illud quæro: Legittima ne aut tum habita fuit, aut erit aliquando habenda ista Carvalhiana Æconomia apud universam Europam? Minime gentium. Principium lumine naturæ notum, & jure naturæ cautum id, quod Seneca in Medea omnes Judices admonebat his verbis „ Qui statuit aliquid, parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus fuit; Egregie. Quid, si non æquum, sed iniquum Judex, parte inaudita altera, statuerit? Quis dubitat, quin sit iniquissimus, & ab iniquissima Sententia Judex quisvis habendus?

Hinc quivis responsum sibi petere possit adversus omnes Sententias in Jesu Societatem inauditam, indefensam, & tacere in judicio magnis periculorum denunciationibus jussam a Saldanha, ab Alfanio, ab Hispano, Gallo, Lusitano, & ab Aula Romana pronunciatas cum ob delicta commentitia, tum ob causas arcanas, alia Pontificis mente, & intimis Principum animis penitus repositas, & nemini aperiendas, vel in exilium amandatam potestate æconomica, vel plenitudine potestatis Apostolicæ suppressam.

Quam ego observationem idcirco ascribebam, ut & nefaria, & callidissima, & impia nostræ memoriæ Atheorum, Deistarum, Jansenistarum, & Philophorum calumnia, quam passim videmus apud omnes Aulas, Populos, & Nationes dominari, optimo in lumine collocaretur. Illi enim nefarii homines, ut decus Regium, ut Pontificiam Majestatem in extremam invidiam, odiumque adducant, auctores sunt & Sacerdotio, & Imperio, ut ad libidinem Paterna, quæ in Regibus dicitur æconomica, in Pontifice Apostolica potestate abusi, omnia naturalia, divina, humana jura proculcent; quorum jurium ipsi ex officio Vindices, & Custodes sunt a Deo constituti, eo nimirum consilio; ut omnem in terris potestatem

(a) *Animad. 8. ad vit. P. Corr. p. 287.*

ſtatem per ſummam humani generis indignationem evertant.

Adnotatio XIII. §. LVI.

PEr illud ipſum tempus facile omnibus apparuit, quam latè publica Carvalhii improbitas ſemel impunita per Aulas Regias ſerpere ad exemplum ſoleret, cum etiam Romæ, in ipſa & Religionis, & Fidei, & Juſtitiæ, & Æquitatis tutiſſima arce auſus fuit palam Onuphrius quidam Alfanius, Auditor Signaturæ Juſtitiæ, ideſt unus e ſelectioribus Romani Fori Judicibus, Carvalhiani latrocinii immanitatem in rem, commodumque ſuum adverſus Jeſu Socios ſine ullo pudore imitari.

Ergo Alfanius in re quidem ſua diu, multumque cum penuria, cum fraude, cum ſordibus luctatus, in Aula tunc demum Ganganelliana eo tempore potens. ac gratioſus, tria a Clemente XIV. ſibi Reſcripta, quibus munitus bellum, & famæ, & bonis Jeſu Societatis acerrimè, atque inſolentiſſimè gereret, auferebat.

Pontificia adeo Reſcripta ad eam causam pertinebant, in qua actionem de Caroli Alexii Piſanii Præſulis, non ita pridem mortui, hæreditate Romæ intenderat Cajetanus Piſanius Fratri ſuo Franciſco e Societate Jesu, optimo, ac religioſiſſimo Sacerdoti, quem Cajetanus paulo ante, in Melita moratus, Adminiſtratorem, ſive Procuratorem (communis) illius hæreditatis pro parte ſua delegiſset.

Nihil hic ſuſpicione utar: nihil eſt opus, me multorum opinioni aſsentiri, qui Alfanii dolis, clandeſtiniſque fraudibus diſſidium inter duos Fratres, ad eam diem maxime concordes, quæſitum de bonorum partitione fuiſse loquebantur; ad Reſcripta enim propero.

Alfanius, in cauſa Piſaniana Judex, primum Reſcriptum a Ganganellio Papa, ſibi amiciſſimo, hujusmodi obtinuit „ Die 27. Junii 1771., ut Alfanius Judex in cauſa Piſanii procederet extra judicialiter, ſola facti veritate inſpecta, omni recurſu, & reclamatione remotis." Facile hic indulgentiam Patris erga Alfanium &c. non ſupercilium Principis videas.

Alterum erat ejusmodi Reſcriptum, quo Alfanio præcipiebatur, „ ut cum omnibus facultatibus, de quibus in ipſis precibus facta eſset mentio, procederet (ſive ageret) contra omnia bona, & perſonas, quæ in illa cauſa ad ſolvendum teneri viderentur, vel propter quemcumque titulum, & cauſam, ſervata tamen in reliquis forma Reſcripti die 27. Junii 1771:

Tertium

Tertium adjectum fuit Rescriptum, & omnibus occultum, quo Alfanius veluti tacita tabella data, impune, quos vellet, perderet; nimirum ea hominis facultas Pontificia dabatur, „ ut Acta, quæ Alfanius ea in causa conficeret, a Tabellione aliquo subscripta, & nemini tradere teneretur, & apud se unum servaret. "

Non erat sane is Alfanius, & rei domesticæ difficultatibus oppressus, & avaritiæ sordibus insignis, & perditi pudoris infamia omnibus invisus. ut, cum impune consulere rebus statim suis posset, diutius cupiditati frænum non solveret. Ergo, indicta causa, die prima Martii 1772. ita judicium dabat: „ Cum Pater Fran„ ciscus Pisani Administrator electus a Fratre suo Cajetano, tunc „ in Insula Melita commorante, nunc præsente, & ejus Accusa„ tore eo nomine, quod ex hæreditate communis amborum Fra„ tris, Præsulis Caroli Alexii Pisani, septem millia scutatorum „ expilarit, solvendo non sit; solvat Collegium Romanum. "

At ubi primum Collegii Romani Procurator, Fabius Bischius, latam ab Alfanio sententiam ante ullam causæ actionem cognovit, quærere illico cœpit; cur sibi acta in judicio non essent tradita? cur parte defendendi sui nullæ essent Jesuita Pisanio concessæ? quid illud veri monstri in eo judicio esse? qua demum de causa illam pecuniam solvere Romanum Collegium damnatum esset? : Esto: non sit solvendo Jesuita Pisanius, quoniam sic Alfanio lubet; qui Pisanium Jesuitam, qui ejusdem Procuratorem nunquam in jus vocarit, nunquam eorum vocem in ea causa audierit.

Esto etiam: Pisanius Jesuita Fratrem suum Actorem bonis fraternis expoliarit, quoniam Alfanius nihil sibi in ea causa queat expiscari, nisi expoliatorem Jesuitam mentiatur; quid tum deinde? Ubi in jure, ubi in judicio unquam probatum fuit, Pisanium Jesuitam jussu Collegii Moderatoris Mariani Pongellii ea pecunia fratrem defraudasse suum? Ubi demum constitit, eam pecuniam usui Collegii cessisse? An, Judice Alfanio, qui nullius sit culpæ particeps, is non sit pœnæ totius futurus immunis?

Si egeat Alfanius, jura omnia multum valere jubebuntur; ne diutius ille fame pereat, alius è Societate Jesu peccasse fingetur; Collegium totum, ut avaritiæ, ut cupiditati, ut odio Alfanii fiat satis, pœnas alieni, vel nullius potius peccati dare Alfanio jure ex formula Carvalhianæ calumniæ cogetur?

In tanta Alfaniæ sententiæ iniquitate & Pisanius, & Bischius Papam adeunt Ganganellium. Postulant, ut Acta, sive judicialia,

lia, five probatoria, fibi tradantur; ut ea perquirere fibi, & apud quem Tabellionem ea perquirere fibi liceat.

At fruftra in ea caufa agebatur, quæ tota de compacto malitiofe, ac fraudulenter ab Alfanio in rem fuam jam efset judicata.

Id demum unum a Tabellione Petro Bravio refciri potuit: Illum quidem ab Alfanio imperiofius rogatum: Acta, ab uno ipfo confecta Alfanio, figno fuo fubfcripfifse, eademque neque illi legere per Alfanium, neque apud fe retinere licuifse: Nec enim fe eum fuifse, dicebat, qui contra tam potentem Judicem, tam intimum Aulæ Pontificiæ amicum quicquam hifcere auderet.

At non diu, ultore, ac vindice Deo, tantum iniquitatis myfterium homines latuit, ut paulo poft aperietur. Interea Alfanius, qui ad nummos Collegii Romani vehementiffime properaret, executionis mandatum (fic enim noftrates Legulefii loquntur) dabat, ut confeftim certa nomina, (loca montis appellant Romani hodierni) certa pecunia depofita publice a Romano Collegio fine confenfu, fine permifsu, fine ullo dominorum Chirographo venderetur, ut reipfa die 13. Martii ejufdem anni tradita fuerunt feptem fcutatorum millia.

Jam vero quanta in infamia res tota Romæ eo tempore fuifset, filentio mihi duco prætereundum. Hoc dicam modo: Neminem Romæ fuifse, qui Alfanii Judicis projectam infamiam, atque iniquiffimam fententiam non abominaretur, qui fortem Jefuitæ Pifanii, & doctrinæ, & fapientiæ, & pietatis laude confpicui, non idcirco miferaretur, quod cum ipfe quatuordecim millia fcutatorum cum exactiffimis rationibus fratri fuo tradidifset, cum dimidium ejus pecuniæ pofset fibi a pietate fraterna polliceri; & a Fratre circumventus, & ab Alfanio fine caufæ dictione damnatus, infamiam Depecolatoris fubire vir integerrimus cogeretur: qui denique injuriam Collegio Romano illatam non deteftaretur, quod tanta pœna, tam grandi pecunia ad arbitrium, ad libidinem, ad rapacitatem valde cupidi Alfanii, impudentiam præpotentiæ Carvalhianæ, in caufa Regii Parricidii palam fine fuco imitati, mulctaretur; cum totam illam caufam nihil ad illud pertinere, apud omnes homines conftaret.

Sed hæc mifsa facio, quæ omnium & linguis, & libellis, & actis iftis Diariis, & Romæ, & in Europæ Oppidis nobilioribus vulgata eam vocem extorquebant: Alfanium, alterum Romæ Carvalhium, leges omnes & naturalis, & divini, & humani juris argumentis penes se unum extantibus, & nemini concredendis;

Actis

Actis judicialibus uno a se confectis, compactisque ad animi impotentis audacissimam libidinem contorquere. Hinc mihi mirum non est, quod Alfanius majori audacia ad alia facinora progressus sit, & Societatem effrænato, & importunissimo animo sit insectatus.

Præsul electus Congregationis quinque Cardinalium, Abolitioni Societatis præpositæ, Abolitionis Breve Præposito Generali, & Assistentibus, magna militum, & Lictorum comitante caterva, insolentissimè denunciavit, eosque in Arce S. Angeli pessimè habuit, eorum innocentiam mendaciter obscurare, eorumque liberationem malitiosè duos annos, & dimidium retardare non exhorruit.

Ad hæc, templa Societatis depopulatus est ea barbarie, quæ legi potest in 1. Tomo Epistolarum Angli ad Dominum Caraccioli, Epistola quarta, edito 1776., & tomo 3. ejusdem, cui titulus Le ovi, & le Non; Epistola tertia, gallicè in lucem edito 1777.

Verum non diu Alfanio licuit, primo scelere illo suo falsa quadam specie judicii obtento, in sinu gaudere. Adest humanis in rebus ultor publicæ injuriæ Deus diutius in Societate civili vix unquam passus, ut quibus armis ab Innocentia sit publicè propulsanda injuria; iisdem Judices, iisdem Magistratus, iisdem Regii Ministri ad Civium suorum perniciem, ad justitiæ oppressionem, ad vincula Societatis dissolvenda impune abutantur.

Quod certè tum Romæ non sine Dei consilio accidisse omnibus visum est. Die 6. Octobris 1778. Franciscus Monsrumisius, authentica Palinodia recantata, innocentiam Jesuitæ Pisanii una cum calumnia, perfidia, latrocinio Alfanii manifestam omnibus faciebat.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PRæsenti publico Declarationis, seu Retractationis instrumento cunctis ubique pateat evidenter, notumque sit, quod anno salutifera Domini Nostri Jesu Christi Nativitate 1778. Indic. Rom. XI. die vero 6. currentis Octobris, Pontificatus autem Ssmi in eodem Christo Patris, ac Domini Nostri Divina Providentia Papæ PII. VI. anno ejus IV.

Præsens, & personalicer constitutus coram me Notario publico, & testibus infrascriptis Franciscus Monsrumisius, Filius piæ memoriæ quondam Josephi, Romanus, cognitus ambobus infrascriptis testibus, & mihi &c. bene notis; qui Franciscus Monsrumisius ætatis annorum viginti unius circiter, prout ab eodem pro veritate mihi Notario asseritur, & prout oculis dignoscitur ex ejus

vultu,

vultu, & in lecto decumbens in Ven. Archihospitali S. Jacobi Incurabilium, prout dicitur, de Augusta, Romæ ad numerum 57., juratus, tactis &c., afserit: Se inserviviise, quoad vixit, Præsuli Pisanio p. m. qui obiit Romæ 8. vel 9. ab hinc annis (*a*), & post mortem ejusdem Præsulis: Patrem Pisanium tunc Jesuitam, commorantem in Collegio Romano, sibi tradidisse *Chartas* varias, in sacco positas, ut eas ad præfatum Collegium transferret, quas statim, & cum effectu afserit se transtulisse.

Cum vero domum rediisset, ab aliis Servis interrogatus: utrum illæ Chartæ esfent Cedulæ, (idest Syngraphæ, quæ auctoritate publica tanti æstimantur, quanti pecunia unicuique Syngraphæ respondens;) Affirmative respondit, & *Cedulas esse dixit*.

In judicium propterea vocatus coram Præsule Alfanio, & interrogatus, utrum illæ Chartæ Cedulæ esfent? Priorem afsertionem suam ratam habuit, & juramento confirmavit, tactis &c., Chartas illas, ut supra, Cedulas esse.

Cum hodie vero ipse Franciscus Monsrumisius sit graviter infirmus, & quasi in extremis vitæ suæ, ut satisfaciat illis hominibus hujus rei conscïis, & ut redintegret existimationem, bonum nomen, & honorem P. Pisanii, tunc Jesuitæ, statuit Palinodiam canere, & retractare hujusmodi calumniam, ab ipso judicialiter, & extrajudicialiter prolatam inconsideratè, & temere tempore illo supra indicato, quo agebat annum ætatis *duodecimum*, aut circiter *decimum tertium*, atque adeo animam suam a tanto crimine, & onere liberare.

Quapropter præfatus Monsrumisius, ut supra, coram me Notario, & infrascriptis testibus, sine vi, sine dolo, sed sponte, & libere, & omni meliori modo Palinodiam cecinit, & calumniam, quam supra afseruit, penitus rejicit, & juratus tactis &c. aperuit, & plane declaravit, sicut aperit, & plane declarat; verissimum esse, Chartas, in sacco positas, fuisse sibi traditas a P. Pisanio tunc Jesuita; & illas se transtulisse ad supradictum Collegium Romanum, ubi Pater Pisanius morabatur: sed nullo modo verum esse, quod illæ Chartæ esfent Cedulæ, ut antea judicialiter, & extrajudicialiter aliis Servis defuncti Præsulis Pisanii, & præfato Præsuli Alfanio affirmaverat, eo quod illas Chartas nunquam vidit, & quid esfent in dicto sacco, non observavit.

Quod idem Franciscus Monsrumisius pro rei veritate, & pro suæ con-

(*a*) *Die* 16. *Junii* 1770,

conscientiæ deoneratione ob supradictas causas declaravit, & dixit, retexuit, & retractavit, prout iterato suo juramento, tactis &c. dicit, declarat, & quæ super hac re calumniose dixit, pro non dictis habet, non solum hoc, sed omni alio meliori modo &c. Super quæ omnia &c.

Actum Romæ in Venerabili Archihospitali S. Jacobi Incurabilium Urbis, posito in Via Cursûs juxta &c. Ibidem præsentibus, audientibus, ac bene intelligentibus RR: DD: Petro Girolami, Filio b. m. Hieronymi Francisci de Focatojo Marianensis Diœcesis in Corsica, Præfecto dicti Venerabilis Archihospitalis, ac R. D. Cyro de Paoli, Filio b. m. Pauli de Nusco in Regno Neapolis, altero ex Sacerdotibus inservientibus dicto Venerabili Archihospitali, testibus mihi Notario cognitis, vocatis, specialiter habitis, atque rogatis.

Pro Successore in Officio b. m. Marci Quassa C. C. C. Notario.

Ego Petrus Parione Notarius Administrator deputatus hoc præsens instrumentum subscripsi, & publicavi, meoque signo, quo utor, munivi.

Reg. (Loco Signi)

Totum hoc legitur vel apud Ephemeridem coloniensem sub die Martis 22. Julii 1779. ad Cap. Romæ; ubi adduntur verba ipsius Francisci Monsrumsii extrajudicialiter dicta: Quod scilicet pro mercede hujus calumniæ recepit scutata Octo.

Atque utinam Alfanius, quem ad bonam profecto mentem Deus illa Palinodia revocabat, ad sese tandem reversus, sese tantorum scelerum reum ex animo fuisset palam professus!

At ille, qui una cum honestate animi pudorem etiam frontis abjecisset; tametsi sese Romæ omnibus invisum, Mortuo jam Clemente illo suo, a quo Pontifice Romanam Purpuram jam sibi desponsam, vel jure tot delictorum in Jesuitas debitam credidisset; a Pio VI. plane etiam despectum: a pristina illa factione in Jesu Societatem conflata apertè repudiatum, aperte calumniatorem habitum aspiceret; tamen (nulla pœnitentis animi significatione ostensa) ære alieno obrutus miserrime obiit die 25. Decembris 1782.

Adnotatio XIV. §. LXVIII.

PEr ea tempora cum Carvalhius, expulso Nuncio Pontificio, distractis Dominicanis, Teresianis, Carmelitanis &c. ab obsequio Magistrorum Generalium oppressa Jesu Societate, illegitimo, ac

ac vitioso Quæsitorum Fidei Collegio constituto, male jam sibi a pietate Lusitanorum, qui novum non possent schisma in ea secessione Ecclesiæ Lusitanæ ab Romano Pontifice non horrere non inductum, vel certè proximè consecuturum vereretur; sibi non deesse in impio consilio suo constituit. Et re quidem ipsa illud concordiæ, communionisque catholicæ vinculum cum conspicuo Ecclesiæ Catholicæ Capite Pontifice Maximo abruptum, ac dissolutum palam Carvalhius cupiebat; videri vero viribus suis male dissolutum nolebat, ne Religioni sibi iidem haberent edictis Ministri obtemperare, cum viderent, domi seditionem Anglicanæ simillimam, instituit, quæ nulla specie probabili, ac ne *titulo* quidem, quod ajunt, *colorato* posset excusari.

Erat ibi tum Ulyssipone Oratoriæ Congregationis Alumnus ille famosus Antonius Pereira (a), in audendo nemini novatorum secundus, in scribendo infanus, ac projectus, in judicando omnium Sophistarum juniorum ineptissimus.

Is jussu Carvalhii, jampridem ab obsequio Romani Pontificis alienissimi, edito in vulgus volumine *De Potestate Episcoporum*, nigri corvi nigerrimo, quod ajunt, ovo, illud conficere conabatur; *Licere Christifidelibus* schismate secedere a Pontifice Romano, ubi ea secessio esset a *Civili Potestate* suis civibus *indicta*.

Dici vix potest, quantopere sit omnibus Pereira visus non tam impiè sentire, quippe, qui a *Centro Unitatis Catholicæ* Catholicos avelleret, quam stolidè, ac fatuè delirare, qui miserè cavillaretur. Hoc enim argumento pro Achille suo utebatur: „ Ex doctrina Petri, & Pauli Apostolica est Potestati Sæculari obediendum etiam in iis rebus, quæ non sint justæ quippe in exilium non promeritum Christianis eundum, si ita Suprema Potestas Civitatis edicat: Atqui justum non est sane, per Schisma ab Ecclesiæ Catholicæ Capite secedere: Ergo secedere ab eo Capite tenentur Catholici, si ea secessio a Potestate Suprema Civitatis indicatur. (a)

Miram Philosophi Oratoriani Dialecticam! Miram cum stupore pecudis conjunctam Impietatem! Impium Sacerdotis caput, Carnificis manu obnubendum, qui contendat, Legem ipsam Naturæ posse sine scelere violari; idque Auctoribus Petro, & Paulo Apostolis; modo id Nero aliquis, aut Diocletianus, aut novus certe Sejanus ita Civitatibus suis edicat!

Vervecis vero Lusitani putidum Cerebrum! qui non discernat inter

(a) *Anecd. Ital tom 2. pag. 29.*

inter ea, quæ quidem injusta sunt Principi præcipienti, Civi exequenti non item, si ea semel malæ sint indicta.

At si res ipsa indicta per se sit iniqua, si impia, si a Deo ipso cuivis vetita; profecto illud & Sacerdos, & Theologus, & Oratorianus Pereira non ignorasset, aut certe dissimulare noluisset in Act. Apost. Cap. 4. v. 14. divinitus scriptum „ Si justum est in conspectu Dei vos (Magistratus Civiles; & Religiosos) potius audire, quam Deum, vos judicate ": Non, inquam, dissimulasset, non ignorasset, nisi fuisset Bæotum, ut ajunt, in aere natus.

Et tamen ille Arbiter unicus Juris divini, ecclesiastici, & civilis Carvalhius pro imperio jussit, probari, edi, & vulgari Pereiræ illum librum, sæpius in Paulo Sarpio, in Richerio, in aliis sexcentis Novatoribus impiis ab Ecclesia condemnatum.

Adnotaio XV. §. LXIX.

INsignem Falsarii notam fronti Fratris Norberti inussere primum illius Superiores Pondicerii (*a*). Coactus enim fuit a Domino Lollier manu propria chirographum exarare, quo declararet, ac solemniter fateretur „ Approbationem, & subscriptionem ejusdem Domini de Lollier Juliapolitani Episcopi, & Vicarii Apostolici renunciati, præfixam infami Orationi funebri, in exequiis Domini de Visdolou Claudopoleos Episcopi habitæ, & a se editæ, suppotititia omnino esse, cujus manum imitatus, & incredibili audacia mentitus fuerat, &, Episcopo penitus insciente, ei operi appositam "; ut atrocibus in Societatem calumniis, quas in ea congesserat, fidem faceret.

Cum vero per Urbem disseminaret, illarum in Jesuitas calumniarum documenta sibi a P. Thoma de Potiers, ejus Præside, missa fuisse; mendacii redarguitur ab eodem P. Thoma litteris suis ad Dominum Dumas, Urbis Prætorem; 5. Novembris 1739.; &, auxilio brachii sæcularis implorato, anno 1740. ex Indiis ejecit, tamquam Indicarum Missionum Pestem, & indignum Venerabilis Capucinorum Ordinis purgamentum.

In Insula Franciæ Sub-Præfectus Apostolicus adductus fuit in necessitatem interdicendi Fratri Norberto, homini adeo infami, concionandi, & confessiones excipiendi ministeria.

Cum Romam attulisset suum illud autographum scriptum = Mo-

(a) *Animad. v. ad Vit. P. Corr. p. 271., & seq. 290.*

numenta historica, (in quibus præter cætera illud comminiscitur, Jesuitas Sanctæ Sedi circa Ritus Sinicos, & Malabaricos pertinaciter restitisse) Benedicti XIV. jussu delata ad Tribunal S. Officii Romæ, & ejusdem decreto primo Aprilis 1745. damnata fuerunt: Ipsum vero Auctorem Pontifex ad statum Presbyterorum sæcularium redegit.

Cur igitur ad se Carvalhius eum arcessivit? Oblitus ne est illius effati, vel apud Indos jam triti, teste Diod. L. 2. – Qui ter aberrasset, in perpetuum silebit?

Adnotatio XVI. §. LXXXVIII.

Quam ego extremam Malagridæ vocem, paucis post diebus vita per vim privati, duabus potissimum de causis mihi iterandam hoc loco arbitrabar. Altera: ut nemini mira illa capitis sententia a furore, ab amentia, ab odio internecino Quæsitorum Carvalhianorum in illum pronunciata, tametsi illa ipsa non tam Quæsitorum, quam unius Carvalhii tyranni visa semper fuit omnibus esse sententia.

Altera: Ut eorum errori obviam irem si qui post Acta illa vulgata suspicari in Lusitania maximè cœperint; Malagridam ætate senem jam decrepitum, erat enim (natus 17. Septembris 1689.) septuagenario major, in tam tetro, tam diuturno, tam crudeli carcere desipere cœpisse.

Haud quidem abnuam, ea Opinionum monstra Malagridæ, Malagridæ in Actis adscripta, iis, qui eloquentissimum Concionatorem, qui sapientissimum Theologum, qui disertum Scriptorem (a) Malagridam antea cognovissent, verendi haud immerito locum dare potuisse, ne homo & senectutis vitio, & Custodiæ vexatione, & vatiniano Carvalhii odio a potestate mentis excessisset.

At ego contra ex Actis ipsis duo colligi posse contendo.

Alterum: semper mente, animo, ingenio, judicio in rebus seriis plurimum Malagridam valuisse (in levioribus interdum desipuisse ait Marchio Alorno), cui tam opportuna, tam justa, tam constantia responsa tributa ab iniquissimo Actorum Scriptore videamus; Nec enim, opinor, de suo ille Scriptor tam sui conpotem effingebat Malagridam.

Alterum: quidquid in illis Actis absonum, ineptum, absurdum, puti-

(a) *Bon. Ratioc. p. 11., & Animad. 8. ad Vitam P. Corr. p. 230.*

putidum, abnorme, impium legebatur; id totum perfidam esse fraudem Norberti Scriptoris, qui nihil in calumnia cumulanda pensi habuerit, modo Carvalhio Monstratori, Subjectori, Magistro, ac Patrono denique suo munificentissimo gratificaretur.

Quæ cum ipsa per se sint maxime vero similia, tum illud omnino sanæ mentis Malagridam arguit, quod qui Internuncii, jussu Quæsitorum, ad Reum mitterentur (a) experiendi, ac periclitandi causa, eorum nemo desipientem Senem se offendisse dixerit.

Nam cum non nemo putat, argumentum esse palmarium Mentis in Malagrida sanæ, atque integræ, quod a Quæsitoribus illis tam amens, tam delirus, tam decrepitus Senex non fuisset flammis piacularibus addicendus: hoc totum, ut latinè dicam, mihi nuce cassa vilius, vel arena sine calce dissolutius videtur esse argumentum, qui plane ex Actis illis intelligam; eos sive pote, sive non pote, odio Carvalhii Malagridam fuisse prodituros, nisi ipsi mali male perire maluissent.

Adnotatio XVII. §. XC.

EO' amentiæ, & furoris, divino consilio id permittente, devenit Carvalhius, ut ipsemet imprudenter luculentissimum Malagridæ innocentiæ dederit testimonium, cum in eum jam mortuum sævire rursus non exhoruit. Qua eadem immanitatis opera se unum ex Philosophis impiis, deterrimisque nostræ hujus ætatis esse manifestissimè prodebat.

Opusculum Malagrida multo ante ediderat inscriptum (a) *Judicium* de vera causa Terræmotus, quem passa est Ulyssipo die 1. Novembris 1755. (b).

Carvalhius tunc non est ausus palam, & aperte illud Malagridæ Judicium appugnare, (c) præsertim apud Regem Fidelissimum, eo flagello graviter commotum: diutius duxit dissimulare oportere.

Post expulsionem Jesuitarum anno 1760. ex tota Lusitania, cum, perrupto veluti vitæ christianæ vallo, cœnosus vitiorum, erroris, & impietatis torrens Ulyssiponem inundaret, ut legere quisque potest in Anecd. Ital tom. 1. p. 138., sex menses ante obitum Malagridæ die scilicet 30. Martii 1761.; iterum terra tremuit.

Tunc

(a) *In Vitam P. Correæ Animad.* 3. *p.* 232. (b) 34. *millia hominum perierunt Anecd. Ital. tom.* 1. *p.* 139. (c) *Anecd. Ital. tom.* 1. *p.* 31.

Tunc Carvalhius tacendum de hac re non amplius esse duxit, sed verba facere opus esse, Ergo Edictum edidit, quo cunctis Mortalibus notum fecit: Hunc terræ motum non a Deo esse; nec Dei significationem ullam; sed calamitatem, & illatum ex causis secundis infortunium, ab ignibus scilicet, spiritibusque terræ inclusis, & exitum sibi molientibus, quem hic modo, modo illic fortuito sibi inveniunt, vel faciunt,

Ut hanc animi sui sententiam, Dei Creatoris, & Domini Cœli, & terræ Divinitatis Jura impetentem, humanitatis vero desolantem firmaret; Episcopos nomine Regis hortatur, ut id per Parochos, perque Concionatores in Sermonibus, in concionibus Populos edoceant,

Unum restabat Opusculum Malagridæ, quod manibus omnium terebatur, reprobandum. Paucis post annis ab obitu Malagridæ Carvalhius novum Tribunal, Carvalhiano vocabulo dictum *Mensæ Censoriæ librorum*, cum instituisset, cum summa Juris Episcopalis violatione statim ad illud Mensa Tribunal delatum voluit, statimque ab illis mensæ novæ sive convivis, sive Judicibus convivalibus damnatum, atque atroci censura confixum fuit. Auctor vero Malagrida (*a*) ut infamis, furiosus, malitiosus, temerarius, & hæreticus in eadem devovetur. (*b*)

Hic primum quæro: Quem petat hæc istius Mensæ Censura? Unum ne Malagridam, an legitimos Fidei Quæsitores, Josephum Braganza, Franciscum a S. Thoma &c.? Malagrida enim illud edidit anno 1756. cum debita facultate, & approbatione Tribunalis S. Inquisitionis, antequam in eo Tribunali Carvalhius tyrannice dominaretur, illudque turpissime deformaret.

Hujus igitur Operis damnatio a Quæsitorum damnatione nullo modo sejungi poterat quin una; eademque censura ipse Supremus Quæsitor Braganza veluti frigida e mensa aspergeretur.

Deinde ubi in toto Opusculo ulla hæresis latet? Ubi hæreticus apparet Malagrida? An ideo is dicendus, quod scripsisset: Deum illo terræmotus flagello punire publica peccata voluisse, quæ Ulysipone quotidie committebantur?

Ergo Hæresis est, judice Mensa Carvalhiana, quod Levit. 26. 23. scriptum legimus: Si spreveritis Leges meas, evaginabo post Vos gladium meum, eritque terra vestra deserta, & Civitates vestræ dirutæ. Si.

(a) *Opusculi, quod ediderat annos 1756.*
(b) *Animad* 3. *ad Vita P. Cor. p.* 232.

Si heccine est hæresis Malagridæ; quare in Actis Judicialibus nulla fit mentio hujus hæresis, nec ob eam damnatus fuit Malagrida?

Si igitur Opusculum Malagridæ hæresim non continet; Ego iterum quæro: Qui sunt isti, qui hoc modo loquuntur? Ego plane ignoro, ex qua Secta improba, & malevola insani hujusmodi Carvalhiani clamores existant. Est ne Carvalhius unus Impiorum illorum, de quibus Jeremias 5. loquitur: Flagellasti eos, nec voluerunt credere: Negaverunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse?

Est ne unus, in quem illud quadrare apte videatur, quod David Ps. 13. 2. ad rem commemorat: Dixit *insipiens* in corde suo non est Deus delictorum Investigator, & Judex, & Ultor?

Est ne unus in recentiorum Philosophorum grege numerandus (Volterii &c.), qui se pleno ore acerrimos humanitatis Patronos venditant; eam vero cœcæ fortunæ committunt, causisque secundis subjiciunt, & suis interim dictis, ac sensi Religionem irrident, Deique Creatoris Cœli, & terræ in jura, in Potentiam, in Sapientiam, & Bonitatem, quibus Ipse Mundum hunc temperat, violentas manus injiciunt, impie negant, spernunt, ac penitus tollunt?

At si e Catholicorum numero esse vult Carvalhius; fateri omnino id debet, quod Hieronymus in Commentario in Caput 8. Matthæi, in illa verba, *Imperavit ventis, & Mari*, concludit his verbis: „ Ex hoc loco intelligimus, quod omnes Creaturæ sentiant Creatorem; quas enim increpavit, & quibus imperavit, sentiunt Imperantem ...; non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed Majestate Conditoris quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt ".

Verus igitur, probusque Catholicus dicendus non est Carvalhius, qui audeat palam, & per Edictum illud asserere: Non esse Terræmotum a Deo: Sed qui cum Ecclesia Catholica universa sentit, quemadmodum docuit Malagrida in illo Opusculo, *Deo indignante, inde flagella prodire, &, Deo miserante, cessare*.

Poterat autem eloquentiore ullo facto a Censoribus patefieri & Malagridæ fides, & plenius confirmari ab ipsomet Carvalhio sua & Infidelitas, & irreligiosa Philosophia?

Adnotatio XVIII §. CIX.

IN Causa hæc fuerunt:

Quamvis Hagiographi Antuerpienses magna cum moderatione

SS.

SS. Acta conscribebant, nihilque ex eorum parte erga Teresianos, & Carmelitas prætermittebatur, quo iis illi gratificarentur, ut legere est in eorum Supplemento Apologetico pag. 20., & seq., & pag. 896.; Nihilo tamen minus ægre ferebant utriusque Ordinis Alumni, quod Hagiographi aut altum silentium sanctissimè observarent de Rebus Carmeliticis; aut, deficientibus argumentis, simpliciter eas referrent, prout *memoriæ proditum* erat, nec pro virili parte propugnarent. Et quod caput est, ægerrime tulerunt, doluisse Hagiographos, ac vehementer (*a*) questos esse, quod Carmelitæ in Actis Sanctorum Ordinis sibi traditis, ut ea typis ederent, suas Opiniones, inconsultis Jesuitis, inserere, & obtrudere potuissent, & ea Acta, tamquam ab Hagiographis scripta, venditarent.

Hinc bini Procuratores Carmelitici Ordinis, alter calceatus, Excalceatus alter, quatuordecim Hagiographorum tomos ad Supremum Hispaniæ Quæsitorum Didacum Sarmientum Valladaresium detulerunt die 14 Februarii 1691. (*b*).

At Sapientissimus ille Inquisitionis Præses delationem a se rejiciendam constanter existimavit.

Alii duo Ordinum Procuratores nihil repulsa deterriti, anno 1695. post mortem illius Supremi Quæsitoris, quo tempore per quinque menses Justitium in illo Tribunali tenuit, denuo minoribus Quæsitoribus *expostulationem* obtulerunt adversus illos Hagiographos.

Valentinus autem Archiepiscopus Joannes Thomas Roccabertinus, ante Magister Generalis Ordinis Dominicani, renunciatus (*c*) Supremus Fidei Quæsitor eodem anno 1695., habita ratione Collectionis ab Adversariis exhibitæ tempore Interregni, & Suffragii duorum Censorum, & Decreti a tribus minoribus Quæsitoribus, *inauditis* omnino *Jesuitis*, antea confecti, illud Decretum prohibitionis promulgari passus est die 25. Octobris 1695.

Nomine autem illorum Hagiographorum cum duo e Societate Jesu Procuratores a Roccabertino exemplum postulassent Propositionum hæreticarum, & Censuras Qualificatorum &c. eo animo, ut si per inscitiam humanam, vel inconsiderantiam erratum esset, christiana humilitate libenter emendarent: Ille Supremus Quæsitor die 8. Augusti 1696. annuebat pro Sancti Officii Instituto (*d*).

Re

(a) *in Supplem.*
(b) *Supplem. Apolog. pag. 65.*
(c) *Ibidem p. 65. eadem.* (d) *Ibidem p. 67.*

Re tota integros viginti annos in examine, & cognitione versata, tandem novus Fidei Quæsitor Supremus Franciscus Cardinalis del Giudice, die 23. Decembris 1715. Decretum hispanice edidit: Tollendam esse prohibitionem 14. illorum tomorum, a Roccabertino factam.

Et vero illud Inquisitionis hispanicæ judicium tanquam æquissimum Benedictus XIV. probabat Bulla *Sollicita* 9. Julii 1753., & §. 9., & 12. servandum præcipiebat.

Hoc nimirum illud est, quod idem Pontifex docuerat (*a*), cum notaret, quid intersit inter probationem, vel prohibitionem ab Episcopo, a Synodo, ab Inquisitione obtentam, & a Pontifice confirmatam in *forma communi*, quæ his verbis concipi solet: Si vere, si juste, si canonice, ac provide facta sint; Et inter probationem, vel prohibitionem ab iisdem obtentam in *forma*, ut vocant, *specifica*, idest *cum causæ cognitione*, *singulis expensis*, *auditis* &c.

Quæ enim ante confirmata a Pontifice sunt, sed in *forma communi*, ea abrogari a Successoribus possunt; cum illa maneat Prohibitio, & Approbatio unius tantummodo Episcopi, vel Synodi, vel Quæsitoris. Quæ vero in *forma specifica* a Pontifice confirmantur, Leges sunt Pontificiæ, & a Pontifice tantum abrogari fas est.

Hoc item illud est, quod libri, & Epistolæ Joannis Palafoxii, cum fuerint approbati 9. Decembris 1760. in *forma communi* (*b*) vi Suffragiorum, quæ duo Theologi protulerunt, quibus a S. Rit. Congregatione datum fuit & libros, & Epistolas prædictas discutere, ut moris est: (quorum prohibitio anno 1760. edita Matriti a Balthassare Mendoza, & Sandoval Quæsitore Fidei Supremo, & revocata ab Emmanuele Quintano Bonifaz Successore 5. Febr. 1761.), hodie a Fidei Promotore Carolo Eschine ad trutinam revocantur, ut judicium in *Forma Specifica* proferatur.

F I N I S.

(a) *In Synod. Diœces. lib.* 8. c. 5. §. 11.
(b) *Bon. Ratioc. p.* 17.


LIGATORIA di LIBRI
VIN.° LOFFREDO

